Samuel Benj. Davis, Vr.
Quo tantum laeter, nil ra ther continet
orbis
Quam Scriptum in coelo nomen
adesse meum.

PHYLLOBOLIA



Francofurti ad Moenum.
Sumptib. Georgi Heinrici Öhrlingii

TRACTATUS DE PHYLLOBOLIA SEU FLORUM ET RAMORUM SPARSIONE IN SACRIS & CIVILIBUS REBUS USITATISSIMA

Ubi

Variis ritus adducuntur multa Scripturæ loca illuſtrantur, & cæremoniarum in ingreſſu ſolenni Principum Origo fuſè exhibetur; in fine denique

DN. DIETERICI DISSERTATIO

De

SPARSIONE FLORUM

adjicitur.


OPERA

JOHANNIS NICOLAI.

(o)

FRANCOFURTI ad Mœnum,
Sumpt: GEOR: HEINR: ÖHRLINGII.

ANNO M. DC. XCVIII.



Præfamen ad Lectorem.

VArii ritus & cæremoniæ in vita nostra quotidiana occurrunt, quarum origo nobis adhuc latet: quare ſemper opera eſt danda, ut penitius inſpiciamus Scripta Veterum & excerpamus, quæ ad hanc vel illam materiam neceſſaria reperiuntur. Inter has deprehendimus etiam PHYLLOBOLIAM antiquis temporibus nec non noſtris frequentiſſimam & in Sacra Scriptura funda-

tam, qua vias Principum ingredientium floribus ſternebantur ad teſtandam lætitiam magnam. Clamabunt quidem fortaſſe nimis quidam religioſi, miſceri Sacra profanis: At ii diſcant oportet, quæ ſacris ſerviunt, profana non eſſe. Hîc verò ſacrari potius humana, quâm profanari divina. Si rem ipſam ratione & veritate penſaverint, cenſeant, ex illis profanata pleraque ab Ethnicis, quæ à noſtrarum ſacrario literarum ablata obſcœnis fabulis polluêre. Itaque Chriſtiano ritu luſtrata, ad ſuos jure debent vindicari.

Sisti-

Siſtimus igitur Tractatum de Phyllobolia variis ritibus refertum, ubi ſimul locus ille Matth. XXI. de ingreſſu Chriſti & ſparſione ramorum ſatis explicatur. Interim tamen te Benevole Lector precibus flagito, ut ſerena fronte hunc tractatulum accipias, perlegas & in uſum magnum tuum convertas. Faxit DEUS Opt. Maxim. cujus hæc à me nutu elaborata ſunt, & cujus ſolius gloriæ, quæ cum proximorum utilitate conjuncta eſt, conſecrantur, ut non aliter atque à me ſuſceptus eſt, à cunctis accipiatur labor. Vale, benevole Lector & his utere. Dabam Giſſæ. d. 1. Decembr. 1698.

GRæcorum luctum doctó
quum scripseris ausu
Lætitiæ flores nunc tetigisse
juvat.
Euge bonum factum! spar-
gent Tibi Sidera flores
Sidera quæ sparsim Doctior
Orbis habet.

Inter concatenatos laborum strepitus
Eruditissimo φυλλοβολίας Authori
deproperabat

MICHAEL BERNHARD
VALENTINI, Med. D.
Ejusque & Phil. Nat. P.P. Acad. Gisse-
næ p.t. RECTOR, Fac. Philos. De-
canus, Præsid. in S.R.I. Acad. Nat.
Cur. Adjunctus & Recuperat. in Ita-
lia Collega.

Poly-

Polyhibistori Clarissimo

Dn. JOHANNI NICOLAI,

Fautori & Amico suo honorando, optima quæque vota nuncupat, Eidemque de novo rarioris Eruditionis specimine ex animo gratulatur

Jo. Henricus Majus, S. Theolog. D. ejusdemque nec non Ling. Orient. in Acad. Gies. Prof. P.

DUos superiore anno Tractatus edidisti, alterum *de Romanorum Triumphis solennissimis*, alterum *de Græcorum Luctu Lugentiumque variis ritibus*; quibus abunde satis declarasti, quantopere in Romanis Græcisque Antiquitatibus versatus, & quanta industria, studio & labore ultima utriusque Gentis monumenta scrutatus sis. Nunc cum tertium de *Juramentis* & quartum de φυλλοβολία publicæ luci exponis, luculento documento probas, Te æque in Hebraicis ac Græcis & Latinis literis haud vulgariæ eruditionis apparatum

 tum

tum possidere. Novi etiam, Te multa alia ejusmodi opuscula affecta habere, plura moliri, & dare posse, si DEUS voluerit & Mœcenatum ope adjutus fueris. Utinam aliquando fixam stabilemque & honorificam obtineres alicubi stationem, ut Tibi librisq; totus relictus, conquirere hinc inde utilia & reddere publico queas. Eum enim Tibi genium esse perspexi, ex quo familiarius Te uti cœpi, ut nulla re alia magis delecteris, quam abstrusorum investigatione. Huic labori immersus, in vigiliis frequens, in lectione assiduus es. Quare non inaniter auguror, Te, si cum eruditione pietatem uti hactenus conjunxeris, & ad utilitatem publicam cuncta retuleris, habiturum & DEUM propitium, & Mœcenates faventes. Quod ut Tibi mature contingat, inter mea vota atque desideria est, quæ ut impleantur, faciet sua intercessione Dominus noster JESUS CHRISTUS, cui te etiam atque etiam commendo. Vale. Deprop. Giessæ Hassor. d. XXIII. Mart. M DC XCVII.

Ode

Ode Alcaica.

SParſere flores tempore priſtinô,
Cùm Principum vis robora frangeret
Hoſtilia, & gentis ferocis
Colla minacia ſubjugaret.

Sparſere flores, quando celebritas
Magni triumphi præmia ſplendida
Victoriæ oſtendabat: Aut cùm
Viſa fuit facies Regentûm.

Lux nuptiarum purpureô nitens
Vultu ſatis non hoc reputaverat,
Si vota ferrentur precantûm;
Hocce decus, cupiebat addi:

Iſtis ut in ſolennibus hoſpites
Afferre flores, ſpargere lilia;
Florumque lætum tempus iſtud
Condecorare velint odore.

Non plura dicam: Dixit enim bene
Docteque VIR, cujus radiantia
Mirantur omnes dona mentis.
TE loquor, inclute NICOLAI!

Flores ego gratos quoque ſpargerem.
Nî *Scripta* nobis lilia ſpargerent,

Gratissimum quæ dant odorem,
Floribus omnibus ampliorem.

Flores tuos mirans, officii memor
Præstabo tantum; ut vox mea prædicet
Isto s, DEUM supplex adorans
Te bonitate suâ ut coronet.

Gissæ dabam è Musæo
d. XIV. Calend. Jun.
A.R. M DC XCVII.

Clarißimo ita VIRO
de Scripto Φυλλοβολίας *egregio*
gratulari, & mentem suam illig
studiosissimam explicare volut

M. Gregorius Daniel
Gernandus,

Græc. Ling. Prof. Publ. &
Ecclesiast.

VIRO Clarissimo Domino NICOLAI AMICO SUO INTEGERRIMO

S. P.

LUbenter Tibi , Amice Suavissime, Carmen gratulatorium de φυλλοβολία offerrem , si modo aliquod tam numeris aptum, verbis concinnum & laudibus frequens fundere possem, ut Tuæ eruditionis ac pietatis elegantiam dignè exprimat, quam jam satis docta tua *Scripta*, quæ Sophûm manibùs diu noctuque volvuntur , exprimunt, ut, cum rerum testimonia adsint, pluribus opus non sit verbis, satius igitur mihi existimavi, tacitè tuis conatibus suffragari & applaudere, quam commemorando aliquid à laudibus tuis discerpere. Macte igitur egregia tua virtute, &, qui orbi eruditorum natus es, perge illi illustribus tuis studiis usui esse, quod omnes Eruditi laudabunt, posteri mirabuntur, nec Tu ipse de meliori sortis eventu desperabis.

Sapiens pol ipse fingit fortunam suam.

Oculis mentique nostræ semper obversetur illud monitum Plauti

Virtute ambire oportet, non fautoribus.
Sat habet fautorum semper, qui rectè facit.

Vale & fave etiam mihi, qui sum

Studiosissimus Tui

Giessæ properante calamo
VI. Iduum Maj. Anno
M. DC. XCVII.

M. Balthasar Christoph. Geibel.



Qui

QVi dudum famæ fragrantes spargere flores
Cœpisti, ingenii dans monumenta Tui,
Svavis amice, novum nunc actus Apolline fœtum
Edis, & in foliis *ludis; at Artis opus*
Haud vile ostendis, nec tantum cernere flores
Hic datur, En! fructus carpere quisq; potest.
Ergò Tui flores *nec sic splendore coruscant.*
Nec sic fucato tantùm ab odore placent:
Quin simul & medica scateant virtute, tenebras
Quæ mentis pellat. Sic decet esse Sophum!
Non est inde Tuis, quò floribus *addere* flores
Instituam, qui se, facto & odore probant.
Unum erit, ut voto sincerum testes amorem:
Ausibus egregiis Numen adesse velit.

Atque Tuos tandem sic, fœcundare labores
Ut studii fructus experâre Tui.

Ita Clarissimo Dno. Auctori, fautori multùm honorando φυλλοβολίαν egregiæ inter alia eruditionis suæ specimen edenti gratulabundus accinebat

M. Joh. Conr. Dippelius.



VIRO



Viro Nobilißimo, Clarissimo, Doctissimo Domino

DN. JOH. NICOLAI,

Amico suo conjunctissimo.

NOn potes, *optime Nicolai*, aut feliciùs aut cûm majori & privato Tuo & publico plurium emolumento otium illud literarium amare; quam, cum ei ita te tradis, ut res literaria & fama tua tanta ex eo singulis annis incrementa sumat. Id sane liberale otium est, & præclaris Ingeniis dignum, quo, non, quæ aut officii ratio, aut utilitatis publicæ promovendæ omnibus ex æquo injunctum studium imponit, ex animi inertiâ desugim⁹; sed cũ ab omni, qui turbare studia possit, negotiorum strepitu amoti, ita nobis vivimus, ut non aliis minus, quam nobis vivamus. Nam quoniam non nobis solum, sed & publico nati sumus; vitæ quoque nostræ studiorumque partem, bonum, quod ad plures diffunditur, jure sibi à nobis aliquã exigit. Cujus rei non im̃emor es *Amice*; sed quæ vitæ Tuæ studiorũq; optime inita est Tibi ratio, ita mu-

n eris,

ris,quod natura injunxit,exples undiquaque partes,ut nullibi officio Tuo defuisse velis videri. Non solùm enim studiorum Tuorū fructu non defraudas alios; sed eâ quoque erga eruditum hoc sæculum es reverentiâ,ut maturis,& non minori utilitate,quam amœnitate delectantibus, ornare illud, quam rancidis putidisque, aut qui præter vanum fugacemque colorem saporis nihil habeant, onerare malis: inprimis cum id studii genus Tibi selegeris,in quo facilis ad canoras speciosasque nugas vanis ingeniis lapsus est. [*a. Habent quidem cæteræ disciplinæ ineptias etiam nugasq; suas ac præstigias easq; vel subtiles,vel eruditas,vel difficiles, quibus vanissima quæque ingenia capi solent,*& quæ nisi his in rebus, infelicius intendi non possunt. Optimè proinde ille,qui ,ingenia in Philosophorum lapide, & perpetuo mobili, aut circuli quadraturâ aut certâ longitudinis determinatione inveniendis occupata. semper infelicia dixit. Irritus fuit hucusque eorum conatus,& erit,ni fallor, harum rerum pervestigatio eo desperatior; quo minus [*b amplissimum ab Ordinib9 Fœderatis 18000.fl.*

reper-

[*a. Morhoff, polyh. L.1. C.XV.*
[*b. Grot. Epist. ad Gall. CLII.*

repertori promissum præmium, ab ingeniosissimis hominibus,& extrema tentantibus, id extundere hucusq; valuit. Sed & in venerandæ antiquitatis investigatione circa quæ non otiosorum hominum subinde occupatur opera? qui dum ad minutias usque omnia perreptant, fieri nequit, quin & futilia egerant sæpi⁹ & pro thesauro carbones. Dignus scilicet est &,nescio quânon laureolâ coronand⁹ eorum labor,qui,ut [*a. Tiberiq ê suis Grammaticis*, non tralatitiâ operâ inquirunt: *quæ mater Hecubæ? quod Achilli nomen inter virgines fuisset? quid Sirenes cantare solitæ*: aut, si quis exquisitum pecudũ,quas de Æquis Volscisq; & Herenicis Romani prædati sunt: aut annulorum,quos Hannibal Romanorum ad Cannas cœsorum digitis detraxit: aut Ulissei navigii remigum numerum ineat; aut in Patrocli Achillisque annos inquirat; aut Ulyssis errores, utrum inter Italiam & Siciliam an extra notum nobis orbem jactatus sit:libidinosiorne Anacreon an vinosior vixerit, *& alia quærat dediscẽda,si scire*; salse quoq; à [*b Seneca* perstricta. Dignæ profectò labris lactucæ; digna inge-

[*a. Sueton. in vit. Tib. c. 70.*
[*b Epist. LXXXVIII. p. m. 297. 304.*

ingeniis talibus arena, in qua & vires exerceant, & nomen ab interitu, & inutilis terræ ponderis ignominiâ vindicent. Fuit nonnemo, qui Gallorum ludicrum illud & facetum Carminum genus, (*Bûrlesque*) *excrementa Pegasi* summo jure vocavit: forte nos talia non minori: *effœtæ antiquitatis* vocemus, cujus & sordida & ingloria est investigatio. Si qui tamen sunt, qui quisquiliis & rejiculis hisce reb⁹ colligendis capiantur, nō Tu invides iis, mi Nicolai, quęsitam in hoc mustaceo lauream. Ipse vero rationem studiorum subducis melius, & felicius huic generi literarum Te immergis. Dum enim antiqua ramiris, & te in ultimam obscuramq; antiquitatem penetras, firmius judicium Tibi lumen accendit; ut non genuina modô à spuriis, sed &, quod inprimis refert, utilia à futilib⁹ distinguere, & in lucem protrahere possis. Neque etiam solenni adeò multis scribendi prurigine vexaris, ut nullo habitu delectu, obvia quævis orbi literato obtrudere, quam nihil, malis; sed selecta, & quæ se utilitate juxta ac jucunditate sua commendant, exponis. Testantur id ingenii Tui, & non superficiariæ diligentiæ mo-

[*a. Morhoff. de Poes. Germ. p. n. 674.*

monumenta, ex ultima *Hebraeorum*, *Graecorum*, *Romanorum* antiquitate eruta & in lucem edita: quibus non *Germanorum* ſolum ipſe Germanus ſed & Batavorum applauſum es commeritus: adeo, ut his, libellus Tuus *de Luctu Graecorum* nuper in Germania editus, dignus viſus fuerit, quem in Bataviæ ſuæ ocello, Amſtelodami, typis ſuis nitidè recuderent. Exhibes nunc novo anno, novum ingenii, & otii Tui literarii fœtum *de florum ſparſione* terſum, elegantem, utilem, & ob ritus luculenter expoſitos, amœnum; quo & veteres ritus exponis, & recentium noſtrorum non planè es incurioſus. quo in inſtituto ut pergas, noſtrorumq; ex antiquis aut originem, aut cum iis affinitatem, (quo in genere pauca occupata) porro tradas, pluribus nunc Te adhortarer, niſi ſcirem non deeſſe tibi monitores alios auctoritate potiores, quorũ Conſiliis nunquam, ut par eſt, contravenire laboras. Ego vero nil habeo reliqui, niſi ut ad eas, quas ſub manibus nunc habes in *Schediis*, *de Diis Germanis* elegantiſſimum *libellum*, *notas*, & *de militia Hebraeorum Commentarium* perficiendum Te admoneam: ſimulq; de ſpecimine hoc eruditionis Tuæ, quod coram non poſſum, literis gratuler; &,

quo-

quoniam de florum ſparſione doctè comentatus eſt, voveam: ut fama nomini Tuo flores nunquam marcentes, ſed floridos, virentesq; perpetuo ſpargat, meque florente apud te & recente ſemper memoria eſſe velis. Deproperabam ex Muſæo Francof. ad Mœn. M DC XCVIII. XXVI. Jan.

Tuus omni ſtudio

J. H. B.



IN-

INDEX CAPITUM



DE



DE

ΦΥΛΛΟΒΟΛΙΑ,

FLORUM ET RAMORUM SPARSIONE SACRA ET PROFANA.

CAPUT I.

De Etymologia, & florum ramorumque usu.

§. 1.



DIcturo de φυλλοβολίᾳ primum omnium nominis ratio seu Etymologia vocis haut perfunctoriè evolvenda. Illa autem hîc in proclivi est, cum descendat à φύλλον, quod significat folium, & ideo per unum L. scribitur, quia antiqui non geminabant consonantes. *Fest*. Φύλλον autem est à φύω nascor. conf. *Martin. Lexicon etymolog*. Forte tamen melius ab Hebræo עלה ut pro forti adspiratione aut flatu, qui in litera *Ain*

 latet,

latet, digamma Æolicum F. positum sit. vid. *Joh. Henric. Ursini Arboret. Bibl. pag. m.* 61. significat autem vox עֲלֵה teste *Buxtorff. in Lexic. Rabbino-Talmudic. ascendere*, quia folia in summitate quasi virent, seu ut *Martin.* c. l. quia est in summitate plantæ. Et à βάλλω *jacio, spargo.* Ita βάλλω est jacio, pono, βάλλειν ἐν θυμῷ ponere in mentem. Ergò βάλλεσθαι poni, *Matth. VIII.* 6. βέβληται jacet, ut habet vetus interpres, projectus est, Actus igitur ipse dicitur φυλλοβολεῖν & φυλλοβολεῖσθαι *folia floresque spargere*, quanquam posterius ab *Herodiano lib.* 7. *cap.* 10. *num.* 15. & passivè usurpetur.

§. 2.

Homonymiam autem quod attinet, aliàs in Græcis authoribus reperire licet ἄνθη βάλλειν, στεφάνους καὶ ἄνθη ἐπιῤῥίπτειν *Herodot. lib.* 5. *cap.* 6. βαΐα σείειν vel ἐπισείειν. Pro φυλλοβολία vel ἀνθέων βολαὶ, quod apud *Apulejum* inde eleganter redditur per jacula floris serti & soluti. *lib.* 4. *Metam. c.* 10. *Tertull. l. de corona militis p.* 181. *edit Jac. Pamel.* flores & insertos & innexos, & in filo & in scirpo, quod liberi, quod soluti sint, vocare amat. Cæterum de cortice verborum

borum non anxie ſoliciti ad rem ipſam pergamus.

§. 3.

Ut autem totius rei deſcriptionem aliquam proferamus *Joh. Cunr. Dieter.* nobis ſufficiat, quam exhibet in *diſſert. de ſparſione florum* mem. 1. § 1. hoc modo: *Eſt* itaq; *ſparſio florum mos occupatus circa honorem tam diis, quàm hominibus exhibendum; iisque vel vivis vel mortuis, idque flores in eos emittendo, aut eorum ſubſternendo pedibus.* In ipſo autem l mine ſeſe offert fl rum διχοτομία in ſertos & ſolutos. Jacula floris ſerti & ſoluti vocat *Apulejus lib.* 10. *Aſin. aur.* more ſuo ἑλληνίζων, judice *Caſaubon.* ad *Sueton. Ner. c.* 25 *pag.* 493. de qua re fuſe *Dietericus. in cit. diſſert.* egit.

§. 4.

Origo cæremoniæ hujus accurata demonſtrari non poteſt; extra omnem dubitationis aleam ponitur, antiquam eſſe. Ut autem ordine procedamus, prius exponemus, quæ apud exteros invenimus, deinde quæ apud noſtros tantum proſequemur, quantum ſatis erit ad id, quod quærimus inveſtigandum atque intelligendum. Et quoniam *Virgilii* verſus *ex* 4. *Æneid.* ad

ratiocinandum aditus patefacient, eos primum, tametsi adversus *Servium* explicabimus. *Poetæ* igitur versus sunt pietatis *Didonis* erga maritum com nemorantis: quos *Servius* perperam explicasse videtur:

Præterea fuit in tectis de marmore templum
Conjugis antiqui, miro quod honore colebat
Velleribus niveis & festa fronde revinctum.

Servius in hunc locum: *Colebat*, inquit, *ea, quæ circa vivos solent fieri, moris enim fuerat, ut nubentes puellæ simul ut venissent ad limen mariti, postes, antequam ingrederentur, ornarent laneis vittis, unde ait velleribus niveis, & oleo ungerent: unde uxores dictæ quasi unxiæ.* Hæc *Servius*, sed ut verè, non aptè.

§. 5.

Si etenim rem accuratius perpendimus, hîc non ritus nuptiarum, sed sacrorum tangitur, quo *Sychemum* uti numen aliquod inter divos relatum in templo marmoreo venerabatur, & eo quidem *vittato*, & festa fronde vestito, quo illa *Ovidii* spectant:

Est

Est mihi marmorea sacratus in æde Sychæus,
Appositæ frondes, vellera alba tegunt.

Ita etiam *Adrian. Turneb. lib.22.c.12. adversar.* rejecta prius *servii* opinione, accipit Poëtam de more, quo templa veteribus ornari vittis consueverant. Nam *Papin. lib. 4. sylvar.* dixit:

Pande fores superum vittataque templa Sabæis,
Nubibus, & pecudum fibris spirantibus imple,

Sed morem signatiorem alium ad Poëtam docet me *Cœlius* Comicus in *Androgyno*, quo videlicet sepulcra mortuorum vittis ornabantur, ait enim; *sepulcrum plenum tæniarum est, ita ut assolet.* Has tænias uti *Scaliger* in *Fest.* explicat de fasciis, quibus involvebantur mortui, quasque κειρίας vocabant. *Plutarchus in Philopœmene* docet defunctorum urnas tæniis cingi & redimiri. *Varro lib.6. de LL.* itaque cum nunc ad sepulcrum frondes & flores ferunt, lanas addunt. Eò spectant verba ista *Ammiani lib.16.* suasitque consarcinatis mendaciis læsæ majestatis arcersere maritum insontem

& fingere, quod velamen purpureum à *Diocletiani* ſepulcro furatus quibusdam conſciis occultabat. Hinc jam perſpicuè Poëtam capies; cum enim ſepulcrum *Sichæi* templum vocaverit, conſequenter illi dat faſcias, tegumenta, vellera, nam ſepulcra quoque ita ornabantur. Itaque non tam de templo cum *Turnebo* accipe, quam de ſepulcro accipe, ut ſatis ex *Cæcilio*, *Feſto*, *Varrone*, *Ammiano*, *Plutarcho* conſtat. Non dubium certe quin omnia ſive ſepulcra, ſive templa, ſive deorum ſimulacra vittis laneis ornarentur. Ad quem morem pertinet locus *Cyrilli Alexandr. in Amos*, ubi ſic Deum loquentem introducit: *Ego illos honeſtavi, illi verò eò inſipientia devenerunt, ut veſtimenta ſua ligantes funibus, velamina facerent adhærentia altari.*

§. 6.

Perpendenti, unde nata hæc eſſet conſuetudo, occurrebat, originem fortaſſe duci ab ea conſuetudine, qua veteres illigabant vinculis deorum ſimulacra, ne hoſtili carmine avocarentur, quem morem *Tyrios* habuiſſe *Curtius* docet *lib. 4. de geſt. Alexandr. Magni* eo loci, ubi latè agit de expugnatione Tyri. Docent & alii multi. Et

eò

eò forsan allusum à *Livio lib.*40. cum ait: *Lanaque cum integumentis, quæ Jovi apposita fuit, decidit.* Sed *Livium* satius est referre ad cultum & stemmâ; quàm ad vincula. Scias quoque hîc ἐκ παρέργου deos vinctos non solùm *lana*, sed *ferro* & *plumbo.* Inde *Prudentius lib.*1. *in Symmach. suffuso figunt vestigia plumbo.* Sed redeo ad *vellera.* Potuit itaque à diis consuetudo derivari ad sepulcra & templa, ut quemadmodum illi, sic *templa* laneis vittis vincirentur. Possit aliquis moris hujus originem ducere à matre *Persinuntia*, quæ vel cribus contexit pinum illam, sub qua Atys sibi virilia desecuit. Quam rem ita repræsentant verba *Arnobii lib.*5. Quid lanarum vellera, quibus arboris colligatis & circumvolvitis stipitem? nonne illarum repetitio lanarum est, quibus jam deficientem contexit, & leporis aliquid rata est se posse membris conciliare frigentibus? Etenim ut ferax est superstitio, potuit hinc propagari ritus ad fovenda frigentia mortuorum membra in sepulcris.

§. 7.

De more autem, quo in celebritatibus veteres uterentur ramis arborum, in se-

quentibus loquemur. Porrò ad hunc locum ſignata eſt explicatio *Nannii.7.Miſcell.* qui cum videat unà cum velleribus frondes, verſum hunc refert ad ſtemmata, quibus dii coli ſolebāt. Eſt autē *ſtemma*, ut apparet ex interprete *Sophoc. in Oedip. Tyran.* lana ramo circumvoluta. Ad hæc ſtemmata trahit illa verba hæc *Jul. Obſeq. de Prodigiis*; In lectiſternio *Jovis*, terræ motu, Deorum capita ſe converterunt, lana cum integumentis, quæ *Jovis* erant, apppſita, decidit. Et ego verſum *Papin. lib.*22.*Theb.* loquentis de Templo miſericordiæ:

Vittata laurus & ſupplicis arbor olivæ,

Et poſſit aliquis duos *Lucani, lib.*1.

Feſta coronato non pendent limine ſerta,
Inſluaque in geminos diſcurrit candida poſtes.

CAPUT II.

DE Deorum ſimulacris, templis & aris floribus & frondibus ornatis.

§. 1.

RAmorum & florum uſus conſpiciendus eſt ex coronis ſeu vittis deorum ſimulacris

cris impoſitis. Bacchi caput coronatum fuit *hedera* & *vite*. vid. *Guilielm. Stuck. antiquit. convival. lib. 3. fol. m. 370. edit Tigur.* At *Horatius lib. 3. carm. od. 25.* redimit eum *pampino*,

---- dulce periculum eſt,

O Lenae ſequi deum,

Cingentem viridi tempora pampino.

i.e. fronde vitis virentis ſequi deum ſc. te, aut ſequi te deum, cingentem tempora ſ. capitum eorum, qui te ſequuntur, pampino viridi. vide. *Horat. Comment. Jodoc. Bad. Aſcenſ. edit. Venet. 1584. fol. 81.* Et alibi de eodem *Horat. lib. 4. carm.* iisdem prope verbis. Ergo hoc numen coronatum *racemis* pingebatur & ornabatur, uti *Athen. lib. 5. Tibull. lib. 1. eleg. 7 Sil. Ital. lib. 7.* teſtantur. Et ſane quisque Numini, cui ſe ſuasque res commendabat, coronas & flores offerebat, quo ſubſidio & auxilio eſſet: ſicuti apud *Dionem Chryſoſthom. orat* 12. pro liberanda filia legendum. Hac ipſa ſive pietate, ſive oſtentatione pietatis *Xenocrates* Philoſophus, quod ebibiſſet congium vini uni ſibi à Dionyſio tyranno oblatum, corona ab illo donatus, eam *Mercurio*, qui ſtabat ante ædes regias, & quem prius floreis coronis

colere sueverat, domum rediens injecit. *Jovi* quoque varia coronamenta tribuit antiquitas, florea, frondea, metallica, de quibus *Carol. Paschal. in libro elegantissimo de coronis* variis in locis egit, ad quem benevolum lectorem mittimus. Certe simulacrum *Jovis* corona vernis floribus fuisse ornatum refert *Pausanias lib.* 5. *Hercules* in deliciis habuit *frondes querneas: Stat. lib.* 3. *Sylvar.* in fine. *Valer. Flacc. lib.* 6. *Argon.* *Marti* frondes populeæ conveniebant. *Vertumno* corona nectebatur è gramine delecto teste *Ovid. lib.* 14. *Metam. Lucina* herba odorata coronabatur quæ confert ad facilitatem partus. *Theophr. l.* 1. *de plant.* Plura qui desiderat evolvat *Paschali lib. de coronis lib.* 4. *cap* 2. & 3. *pag. m.* 208. ubi fuse de his actum. conf. *Elias Schad de diis German. cap.* 29. *pag. m.* 367. conf. *Joh. Cunrad. Dieter. dissert. in fine annexam de florum sparsione them.* 2.

§. 2.

Progredimur ad illorum *templa*, quæ ab antiquitate coronabantur & vittis ornabantur uti *Euripides act.* 1. *Jo.*

Χο. ἆρ' ὄντως μέσον ὀμφαλὸν,

Φοίβου

φοίϐου κατέχει δόμος; Ιων. στεμμασίν' ἐνδυτὸς;

Ἀμφὶ δὲ Γοργόνες.

An revera in medio (terræ) umbilico Phæbi delubrum eſt, Jon. Coronis etiam redimitum & circa Gorgones. Diſertim *Plutarch.* περὶ στωι. ἐναν. Adorant, inquit, ſedes Deorum, & coronant *templa*. Cum Jupiter queritur de *Epicuro*, ſi, inquit, ei credant homines, tum nobis templa erunt incoronata, i.e. infrequentia, inculta ac deſerta. Potiſſimum autem in *publica lætitiæ* templa coronis & floribus exornabantur; ut in triumpho *Pauli Æmilii*; nam omnia *templa* fuerunt aperta & *coronarum* & *ſuffitionum* plena. Hoc autem *coronare* templa nihil aliud eſt, quàm *frondibus ea tegere*. *Valer. Flacc. lib. 2. Argon.* -- *æquora cuncta.*

Proſpiciunt, ſimulantque choros; delubraque feſta,
Fronde tegunt.

Statius ad *Julium Menecratem*:

Pande fores ſuperum vittataque templa Sabæis,
Nubibus, & pecudum fibris ſpirantibus imple,

Similiter hoc declarat *Propertii* locus *lib*. 4. *eleg*.10.

Devia punicea velabant limina vittæ,
Putris adorato luxerat igne casa;
Populus & longis ornabat frondibus ædem,
Multaque cantantes umbra tegebat aves.

Hæc & alia quamplurima in scriptoribus occurrunt, quæ huc adducere non operæ pretium esse ducimus. confer. Saubert. *de sacrif. cap*.15.*p.m*.369.370. Notatu dignus est locus *Hieronymi de quodam presbytero epist.lib*.2.*epist*.22. dicentis: Qui Basilicas ecclesiæ, & martyrum conciliabula diversis floribus & arborum comis, vitiumque pampinis adumbrant &c.

§. 3.

Ipsæ quoque *aræ*, apud quas res sacræ fiebant, fuerunt *coronatæ* i.e. umbratæ *foliis, frondibus, floribus*. Testatur hoc *Virgil.eclog*.8. *Molli cinge hæc altaria vitta. Verbenasque*. Ubi *de la Cerda fol.m*.157.per has omnis generis herbas intelligit. Huic *Propertius lib*.3. calculum addit, ita canens: *Inde coronatas ubi thure piaveris aras*. Et

Sta-

Statius lib.8.Theb. ------ *geminas ergo ilicet aras.*

Arboribus vivis & adulto cespite texi,
Imperat: innumerosque deæ sua munera flores,
Et tumulos frugum, & quicquid novat integer annus,
Addit.

Antoninus ingressus ditionem Persicam, simulabat se lætari, quod undique sibi adducerentur sacrificia & ubique aræ coronarentur. *Herodian.lib.4.* Memorat *Athenæ. lib.5.* in Pompa *Ptolomæi* transvecta fuisse altaria quinquaginta cum aureis coronis. *Euripides Iphig.in tau.act.1.* ait, aram habere rubras è sanguine comas i.e. serta & coronas, nam τριχώματα *capillamenta* sunt *serta* & *flores. Stat.lib.3.Sylv.* ------ *date serta per aras.*

Festaque pallentes hilarent altaria lucos.

Et alibi: *Semper adoratis spirabunt floribus aræ.* conf.plurib. *Saubert.de sacrif.cap.15. pag.353.354.* ubi plura, disput. *Joh.Cunrad. Dieter.de sparsion.flor.* ubi ex Apulej.*lib.1. florid.pag.556.* rem probat. *Theophrastus lib. 1.de plant.* author est, Ægyptios coronare aras ea planta, quam vocavit ὄιτον sive ὄϊγγον.

γον. Ipsa quoque *sacella* eadem ratione erant coronata, i.e. *flore* conspersa. *Propertius lib.* 4. asserit:

Flore sacella tego, verbenis compita velo,
Et crepat ad veteres herba sabina focos.

§. 4.

Clarè ex his prædictis cognoscimus *Pontificios* ritum hunc ab *Ethnicis* traxisse, cum *festis diebus* & lætitiarum tempore *Januas* & *fores templorum* variis coronarum generibus ornent ipsaque pavimenta floribus conspergant. Testatur hoc *Polydor. Virgil. de invent. rerum lib.* 5. *c.* 1. Sunt itaque, inquit, multi ritus propè germani ex quibus & hic est: Apud nos festis diebus templa & domus nuptiales aulæis exornantur: *lauro* & *hedera* aliisque festis frondibus vestiuntur fores, ac vestibula decorantur coronis sparguntur floribus: Quæ hercule omnia ipsi idolorum cultores antea servabant. *Virgil. lib.* 2. *Æneid. vers.* 248, 249. ita canit:

Nos delubra Deum miseri quibus ultimus esset,
Ille dies, festa velamus fronde per urbem.

Ex more gentium omnium, quæ in privatis publicisque lætitiis januas velabant ramis arborum, templa & vias, omnem denique urbem:

urbem: cujus moris frequentissima mentio fit. *Lucan. lib. 2.*

Festa coronato non pendent lumine serta.

Sic *lib. 4. Æneid. vers. 201.* -- -- *& variis florentia limina sertis.* Non utcunque flores in sacris apud veteres usitati, erant sed sæpe in texti formatique in modum coronarum. *Ovid. 4. Fast.*

Et tegat ornatus longa corona fores. Et *Tibull. 1. eleg. 1.*

Flava Ceres tibi sit nostro de rure corolla,
Spicea, quæ templi pendeat ante fores.

Item Juvenal. testatur: *Postibus & densos per limina tende corymbos.* Tradit idem *Tertullian. in Apolog.* Cur die læto non laureis postes obumbramus? Idem ibidem: *Quàm* recentissimis & ramosissimis laureis postes perstruebant? quàm elatissimis & clarissimis lucernis vestibula enubilabant. Attigit morem sanctus *Ephrem sermone in crucem*: Coronemus portarum frontes, ut Christiani, & non ut gentiles, atque Pagani, lauris aut floribus aliisque herbarum generibus. Verum morem gentilium imitantur Pontificii, & utilitatem inde sperant teste *Beyerlingio in promptuario suo morali part. 3. p. m. 398.* ubi ex *Chrysost.* & *Hieronymo* hæc adducit. Non enim est res nova inquit

quit *Chryſoſtom.* habere templa ornata. Dic oro, ſi Rex tibi præcepiſſet domum exſtruere, ut illic habitar, nunquid omnia feciſſet? nunc igitur regia eſt Chriſti Eccleſia, ne ſumptum ſpectes, ſed fructum computa. *D. Hieronymus epiſt. ad Heliodor. Nepotianus*, ait, erat ſolicitus ſi niteret altare, ſi parietes absque fuligine, ſi terſa pavimenta, ſi janitor creber in porta, vela in oſtiis, ſi ſacrarium mundum &c. Baſilicas Eccleſiæ & Martyrum conciliabula *diverſis floribus & arborum comis vitiumque pampinis* obumbrabat. Et *epiſtol. ad Nepotianum*: Multi, ait, ædificant parietes & columnas Eccleſiæ ſubſtruant; marmore nitent, auro ſplendent laquearia, gemmis altare diſtinguitur &c. Sic de altaribus dicendum, quando variis floribus exornantur.

CAPUT III.

DE

Victimis, vaſis ſacrificialibus, ſacerdotibus & ſacrificantibus floribus & frondibus redimitis.

§. 1.

VIctimas coronatas fuiſſe teſtantur Poëtarum ſcripta, & has coronas vocabant vittas.

vittas. Audiamus hic de *vittis* ſeu coronis victimarum Poëtas. *Virgil. Æneid.2.v.133.* Et ſalſæ *fruges & circum tempora vitta*. Et paulo poſt *verſ.156.* *Vittæque Deum quas hoſtia geſſit.* Idem. 3. *Æneid.*

-- -- -- ſtans hoſtia ad aram
Lanea dum nivea circumdatur infula vitta.

Corona porrò aut victimis nudis aut etiam jam vittatis imponebantur. In *Actis Apoſtol.* ſacerdos *Jovis* tauros & coronas adfert, *Jovi* ſacrificaturus *cap.14.verſ.13.* Vid. *Cornel. à Lapid. in h.l.* itemque *Sauberti prodr. Philol. S. pag.33.* Liquet etiam hoc ex *Prudentio in Apoph.*

Pontificum feſtis ferienda ſecuribus illic
Agmina vaccarum ſteterant; vitulasque revincta,
Fronte coronatas umbrabat torta cupreſſus.

Hinc conſtat cupreſſum coronam fuiſſe interdum quandoque ex aliis frondibus uti hoc probat *Choul de ſacrific.* Si la victime petite debuoit eſtre immolé, elle eſtoit coronnée du rameau de l'arbre, qui eſtoit dediè au Dieu, auquel ſe faiſoit ſacrifice: Quandoque coronabantur ea fronde, quæ illius

illius numinis propria esset, cui immolabantur. vid. *El. Sched. de Diis German. cap.* 29. *Carol. Paschal. de coron. lib. 4. pag. 256. cap. 17.* Victima interdum fuit coronata aliis frondibus & foliis, ut apud *Prudent. peristeph. hym.* 10. taurus,

Huc taurus ingens fronte torva ac hispida,
Sertis revinctus aut per amos floreis,
Aut impeditus cornibus deducitur.

Plura videnda sunt *in antiquit. Græcis Pfeiffer. pag. 64. Joh. Cunrad. Dieter. in dissert. de florum sparsione. p. 1.*

Vasa quoque & cistas in quibus condebantur sacrificio necessaria, sertis redimitas fuisse constat. *Euripid. Jon. act. 5.*

Ὁρᾷς τὲ δ' ἄγγος ὑπ' ἀγκάλαις ἐμαῖς,
Ἴων ὁρῶ παλαιὰν ἀντίπηγ' ἐν στέμμασιν,

Viden hanc cistam sub brachio manus meæ? J. video antiquam arcam *sertis* implicatam & *floribus. Tibullus lib.* 1. se & canistra coronat myrto: *Hunc pura cum veste sequar myrtoque canistra,*
Vncta geram myrto, vinctus & ipse caput.

Similiter *Ovidius lib. 2. Metamorph.*

I.

Illa forte die castæ de more puellæ,
Vertice supposito festas in Palladis arces,
Pura coronatis portabant sacra canistris.

§. 3.

Quod ad sacerdotes attinet, tunc omnes coronatos fuisse constat è multis locis. E quibus promo verba *Ionis* alloquentes Xanthum virum *Creusæ*, quam ipse nesciebat esse matrem suam, *Eurip. Io. art. 2.*

Παῦε, μὴ ψαύσας τὰ τοῦ θεοῦ,
Στέμματα ῥήξεις χερί i.e.

Quiesce, ne contrectans coronas Dei, eas frangas manu. Hanc coronam *Ammian. Marcellin. lib. 29.* vocat sacerdotalem: *Biduoque*, inquit, *post Icosium oppidum militaria signa & coronam sacerdotalem cum ceteris quæ interceperat, nihil cunctatus restituit.* Apud *Plinium lib. 51. c. 10.* pingitur sacerdos adstante puero cum *acerra* & *corona.* Qui mos coronandi sacerdotes & in *Syria* viguit, ut liquet ex hisce *Hieronymi in vit. D. Hilarion.* verbis: *Non prius abiri passi sunt, quàm futuræ Ecclesiæ lineam mitteret, & sacerdos eorum, ut erat coronatus Christi signo denotaretur.* Calculum his adjicit *Guilielm. Stuckius in descript. sacrif. Gentil. fol. 79. edit Tigur.* Testatur & hoc

Elias

Elias Sched.de diis German.p.369. Ostentat lauream suam *Delphicus Virgil.3. Æneid.*

-- -- *Phœbique sacerdos.*

Vittis & sacra redimitus tempora lauro.

Cum illa *Apollini* sacra fuerit. *Fulgentius lib.1. Albricus de Deorum imag.c.4. Palæphatus de fabb.c.de Ladon.Meurs.de lauro.* itemque *Flamines. Prudent.in apoth.*

Flamen & ipse suas miratur vertice laurus,
Cedere.

Spiceam fratres arvales. *Plin.hist.Nat.18,2. Agell.6,7. Ant. Thylesius lib.de coron.* Pineam Galli; quod *Atys* se sub pinu castrasset. Vid. *Arnob.lib.5. Mimallones* hederaceam. *Tacit.5.hist. Taxeam* sacrorum infernalium antistes. *Senec. Oed.3,1.*

Squalente cultu mæstus ingreditur senex,
Mortifera canam taxus adstringit comam.

Coronatos fuisse sacerdotes & vittatos asserit *Stat.lib.3.Theb.* ita canens:

Huc gemini vates sanctam canentis olivæ,
Fronde comam, & niveis ornati tempora vittis,
Evadunt pariter.

Et

Et hæc paucis de coronis & frondibus sacerdotum dicta sunto.

§. 4.

Ad ipsa sacrificia pergimus, quæ coronata erant. Prodent *Clem. Alexandrin. Strom. lib. 5.*

Θυσίας τε τούτοις καὶ καλὰς πανηγύρεις,
Στέφοντες. οὕτως εὐσεβεῖν νομίζομεν.

Sacrificia his, & pulchros conventus coronantes, ita pietatem colere existimamus. Et verò inter alia omnia, quibus sacrificii apparatus continetur, corona eminentissimum locum obtinet. Idem Aristophanes docet teste *Carolo Paschal. de coron. lib. 4. pag. 264. Lactant. lib. 6. Instit. c. 24.* Ad quod, ait, sacrificium neque verbenis opus est, neque fibris, neque cespitibus, quæ sunt utique vanissima. Sacrificiorum ornatus erat in collo serta & aurum in cornibus. De sertis jam constare potest ex *Luciano de sacrific.* similiter de istis locus extat apud *Theophrastum. c. XXII. Ethic. Charact.* ubi dicit de *μικροφιλοτίμῳ* h. e. ineptè ambitioso: Et si bovem sacrificavit, solet anteriorem partem capitis magnis redimitam sertis pro foribus in ipso introitu figere.

§. 5.

§. 5.

Habitum & ornatum ſacrificantium perluſtrare quoque lubet, qui etiam coronati incedebant, uti probati authores hoc approbant. *Sueton in Auguſto* morem horum deſcribere ita dicit: *Candidati coronatique & thura libantes.* Cydonius: θύεσι ἐπινίκια καὶ ςεφανῦνται. *Ovid. lib. 5. Triſt.* Feſtáque odoratis innectunt tempora ſertis. *Virgil. 1. Georg.* Cereri torta redimitus tempora quercu. *lib. 3. Georg.* Ipſe caput tonſæ foliis ornatus olivæ. *lib. 5 Æneid.* Ipſe caput tonſæ foliis evinctus olivæ. Idem *lib. 8. Æneid.* Cingite fronde comas & pocula porgite dextra. *Tibullus* 1, 10.

Hunc pura cum veſte ſequar myrtoque caniſtra,
Vincta geram, myrto vinctus & ipſe caput.

Idem. lib. 2. eleg. 1.

Cernite fulgentes ut eat ſacer agnus ad aras,
Vinctaque poſt oleâ candida turba comas.

Verum hæ coronæ ex aliis ſubinde frondibus nectebantur. Utpote in *Dionyſicis Myrto*, ut ait *Timochiadas in lib. de coronis* & *Ariſtophan. in Ranis*:

Ἴαχ' ὦ Ἴαχχε,
Ἐλθὲ τ δ' ἀνὰ λειμῶνα χορεύσων,
Ὁσίες ἐς θιαβάτας, Πολύ-

Πολύκαρπον μὲν τινάσσων,
Ἀμφὶ κρατὶ σῷ βρύοντα,
Στέφανον μύρτων.
Jacche, Jacche,
Veni per hoc pratum tripudians,
Sacros & initiantes;
Fructiferam concutiens,
Circa caput tuum virentem,
Coronam Myrtorum.

At in *Cerealibus* è *quercu* coronabantur, ad perpetuum accepti ab illa Dea beneficii memoriam, ut significavit in his *Virgilius lib.*1. *Georgic.* -- -- -- *neque ante*
Falcē maturis quisquam supponat aristis,
Quam Cereri, *torta redimitus tempora quercu,*
Det motus in compositos, & carmina dicat.

In sacris *Cybelis* matris Deum è pinu coronabantur. Sic *Ovid.l.X.Metamorph. & l.*2. *Fastor.* In sacris *Herculis populo* coronabantur, ut testatur iterum *Virgil.l.*8. *Æneid.* In sacrificiis *Apollinis lauro*, ut est apud *Apoll. Rhod.l.*2. *Argon.v.*159. Verum plura hic adducere possemus, si necessitas hoc postularet. Remittimus tamen lectorem ad *Saub. de sacrific.c.XI.p.*246. *Eliam Sched. de diis German.p.*368. *Guil.Stuck. descript. sacrif. Gentil.f.*79.

CAPUT

CAPUT IV.

DE
Phyllobolia Geniorum, Larium & Terminalium.

§. 1.

GEnius ut *Censorinus in lib. de die Natali. c.3.* ait, est Deus, cujus in tutela, ut quisque natus est, vivit. *Augustin. lib.7.c.13. de Civ. Dei. Genius* est Deus, qui præpositus est, ac vim habet omnium rerum gignendarum. Nomen habet, sive quod genamur, curat: sive quod unà gignatur nobiscum; sive quod omnes genitos suscipiat ac tueatur: Certè à *Genendo* genius appellatur, *Censor. c.3. de die Natal. M. Hieronym. Dathe in diss. de Geniis Veter.* edit *Witteb.* 1690. Is dicebatur *Deus Natalis. Tibul. lib. 1. eleg.5.* & præses nativitatis credebatur à viris, sicut *Juno* à mulieribus. *Genii* erant duplices: *Boni & mali*, teste M. *Hieronym. Dathe dissert. de Geniis* §.4,5. *Serv. ad lib.6. Æneid. Virgil.* Boni Genii, qualem Socrates habuisse fertur, apparuerunt specie pulchra ac amabili, præcipue humana majore, qui credebantur hominum salutem tueri. *Peucer, 29. lib. de divinat.* Mali *Genii* sunt, qui

qui homines ad vitia impellunt: & hi apparebant horrida ſpecie, cumprimis ſi aliquod malum immineret. Ita *malus Genius Bruto* Cæſaris percuſſori apparuit, *Plutarch. in vita Bruti. Appian. lib. 4. de bell. Civil. Florid. lib. 4. c. 6.*

§. 2.

Erat autem *Genius* (1) *Regni*: uti *Claudianus* talis Genii meminit. (2) *Juſtitiæ. Stobæ. ſerm. 44.* Juſtitia & præfectus ejus *Genius* digniores ſunt majorisque habentur quàm ut injuſtitiæ gratifeceris. (3) *Famæ, Martial. lib. 7. Epigr. 11.*

Ludimus innocui: ſcis hoc bene: juro- protentis
Per Genium Famæ Caſtatilidumque gregem

(4) *Exercituum*, qui toti *Exercitui* præerat, eumque putabatur tueri. (5) *Focorum* apud *Arnob. lib. 4. pag. 77. adverſ. Gent.* (6) *Lecti.* De quo Genio *Juvenal. Satyr. 5. v. 22.* Antiquum & vetus eſt alienum Poſthume lectum concutere & ſacri Genium contemnere fulcri. Hinc *Lectus Genialis* i.e. *nuptialis, Horat, lib. 1. epiſt. 1.* Quamvis & Lectus Genialis dicatur, qui ſterneba-

tur in nuptiis in honorem Genii. *Catullus* vocat pulvinar Geniale.

§. 3.

Colebant *Genios* rebus ordinariis, utpote *Vino*. *Horat. in arte* Poëtic. *v.* 219. *Thure*. *Tibull. lib.* 4. *eleg.* 7. & præprimis *floribus*. Horat. *lib.* 2. *epist.* 1. multoque *coronarum* & conjectu & impositu. *Tibull. lib.* 2. *eleg.* 2.

Ipse suos Genius adsit visuros honores
Cui decorant sanctas florea serta comas.

Et hoc ex communi ritu, nam circa Deorum simulacra ea fiebant, quæ circa ipsos homines. Ita *Arnob. lib.* 7. *advers. Gent.* Etiam Dii sertis, coronis afficiuntur & floribus. Conf. *Martin. de* Roa *singular. pag. m.* 588. *Joh. Cunrad.* Dieter. *in dissert. de flor. sparsione.* § 6. *Alexander ab Alexandro* Genial. *dier.* 22. *Scaliger.* 3. Poet. 102., *pag.* 374. *Horat.* 2. *epist.* 1. Barth. *advers.* 18. *lib. fol.* 920. *Turneb. advers.* XXVI. *Dilherr.* Tom. 1. *disput.* Academ. XIV. *pag. m.* 427. *seqq.*

§. 4.

Lares succedunt, quos cum *Penatibus*

bus sæpè confundunt Scriptores & utrosque vocant ἐφεςίους θεοὺς focarios *Cerda ad lib. 8. Virgil. Æneid. pag. 238.* nomen habent à *Thusca* voce *Laris*, qua ita appellatur προςάτης sive *præses*: Unde illis *Lars* est populi Princeps. Et ita Dii domestici dicti sunt *Lares*, quod sint domus sive familiæ præsides. Origo istorum juxta fabulas ita se habet. Cum *Lara* nympha *Junoni* indicasset *Jovis* mariti adulteria, ipse ira exardescens statim *Mercurio* eam præfecta prius lingua ad inferos deducendam tradidit, quam tamen in via compressit, & ex ea natos vidit gemellos, quos *Lares* dixit. *Ovidius lib. 2. Faster.*

§. 5.

De cultu *Larium Vossius lib. 1. c. 11. de Idol.* agit. Colebantur plerumque oblatione τῶν προσφορημάτων primitiarum, teste *Horatio lib. 2. serm.* —— *dulcia poma*

Et quoscunque feret cultus tibi fundus honores.

Ante larem gestat venerabilior lare dives.

Hinc eſt, quod *Tibullus* Larem coronat *ſpicis & uva. lib. 1. eleg.* 10:

Hic (Lar) *placatus erat, ſeu quis libaverit uvam,*
Seu dederat Sanctæ ſpicea ſerta comæ.

Coronabantur quoque plurimis floribus *bis* in anno, *vernis* ſcil. *floribus* & *æſtivis*: ubi per *vernos* flores intelligunt *heliochryſon, hyacinthum, roſam* & violam albam, quæ prima florum eſt. Per *æſtivos* verò *flores* eos, qui vernis ſuccedunt, cujuſmodi ſunt *Lychnis, Jovis flos, amarcus, Iris*, & quoddam genus *lilii* Lares itaque *violis* ornatos fuiſſe teſtatur *Juvenal. Satyr.* 10.

--- --- *laribusque paternis*
Thura dabo, atque omnes violæ jactabo colores.

Sic etiam *Tibullus lib. 2. el.* 1. cum ait coronam de *verno flore* factam puerum impoſuiſſe *Laribus*, non de alio flore loquitur, quàm de viola:

Rure puer verno primum de flore coronam
Fecit & antiquis impoſuit laribus.

Redimiebantur *myrto* quoque & *rore marino* teſte *Horat. lib. 3. carm.*

Parvos

Parvos coronantem marino
Rore Deos, fragilique myrto.

§. 6.

Terminos quoque sive Terminales lapides coronis floribusque donavit antiquitas, tanquam judices & arbitros finium, ac proinde pacis & amicitiæ custodes. Vocabantur aliàs *Hermæ*, de quibus consulendus ttactatus noster de *Hermis* ubi plura. Cum ergò *Terminus* juri & justitiæ locum asseret meritò coronabatur teste *Ovid. lib. 2. Fast.*

Termine, sive lapis sive es defossus in agro
Stipes, ab antiquis, tu quoque nomen habes.
Te duo diversa domini de parte coronā,
Binaque serta tibi, binaque liba ferunt.

Hoc autem coronamentum non solùm constitit è floribus, sed è fasciis seu fasciolis. *Prudent. contr. Sym. lib. 2.*

--- --- --- *& lapis ille*
Si stetit antiquus, quem cingere sueverat error.

Plura qui desiderat evolvat *Adrian. Turneb. advers. lib. 18. Demster. ad Rosin. lib. 2, 20. pag. 410, 411.*

CAPUT V.

DE
Ramis & floribus in rebus
lætis, nec non in Pompis Deorum usitatis.

§. 1.

RAmorum usus & florum sparsio tàm in *publica* ac *solenni* lætitia, quàm *privata* usurpabatur, dum *templa*, *Turres*, *Januas* ac *seipsos* concepti gaudii indicium exhibentibus ramis ac floribus coronabant. Et si hæc juxta lancem mentis & judicii examinamus, certò constat, reliquias remansisse in Germania nostra. Nonne certis & statutis temporibus anni multis in locis festis quibusdam diebus non solum fores templorum sed & turres frondibus exornantur ad testandam lætitiam. Moris etiam hodienum est, ut fabri lignarii, cum ædificium ad finem perduxerunt & erexerunt, in apice illius frondem collocent. Sie stecken einen grünen Strauch auff die Spitze / quâ re lætitiam significare volunt. Ramos itaque in quibusvis latis rebus usurpatos fuisse testantur Scriptores probati. *Seneca*

ca epist. 78. Quid tu, *inquit*, existimas ea tantum optabilia esse, quæ per voluptatem & otium veniunt? Quæ excipiuntur foribus exornatis? *Cornelius Tacitus lib. 4. Annal.* Fuit inter irritamenta invidiæ domus foro imminens festo ornatu: Scilicet ob lætitiam Domini redeuntis. Ornatus autem festus erat *lauri & lucernæ*, quem ritum duabus vocibus exprimunt Græci *φωτὶ καὶ στεφανώμασι.* Hinc *Tertullianus in Apologet.* hæc profert: *Cur die læto non laureis postes adumbramus, nec lucernis diem infringimus.* Juvenal. *Satyr. 10.*

Pone domi lauros duc in Capitolia magnum
Cretatumque bovem

Nempe ob lætitiam *Sejani* superati. *Rutilius* etiam *Claudius*, *Itinerarii lib. 1.* ob sui reditus lætitiam:

Festa dies, primosque meos dignata penateis,
Poste coronato vota secunda colat.

§. 2.

Sic in *Natalitiis* & aliis festis Hebræorum *Lucernæ* & *flores* ad januas positæ erant. Moris apud eos fuit, in sacris celebrandis non intra templa modò, sed ad januas etiam lucernas accendere, eas *ramis* & *floribus* exornare, testis hujus est *Persius* ita canens:

Herodis venere dies, unctaque fenestra
Dispositæ pinguem nebulam vomuere lucernæ,
Portantes violas &c.

Herodis autem dies, *Persius*, Sacras Hebræorum ferias & Sabbata intelligit. Illum enim *Pompejus*, *Strabone* auctore, Sacerdotio Judæorum præfecit, postea vero *Augustus* Cæsar, ad regni honorem erexit, quanquam & de die Natali festo *Herodis* alii interpretantur. Similiter *Juvenal. Satyr. 12.* cultum & nitorem exprimit, qui festis diebus adhibebatur: cum ornabantur ædes atque omnia purgabantur. Ita *Plauti* Leno in *Pseudolo*: *Tibi*, inquit, *hoc præcipio ut niteant ædes.* Et infra: *Facite, ut offendam parata, versa, præsterga, strata, lautaque coctaque omnia uti sint: Nam mihi hodie Natalis est.* De hoc cultu *Ambros. Serm.*

13. in

13. *in Natal. Domin.* & *August. orat. 1. in eod. Domus etiam*, inquit, *si obscura fuerit dealbatur, pavimenta scopis mundantur & diversis floribus adornantur*. Non prorsus absurdum, si cum domus tota nitida, collustrata, vestita *ramis* esset ob diem festum, quæ quasi sacrorum complementa sunt, ipsa janua operuri dicatur, ut apud *Tibull. lib. 2. Eleg. 1. Omnia sint operata Deo.* Ornatu enim suo sacro operatur janua. vid. *Martin. de Rom Singular. pag. m. 195.*

§. 3.

Græcorum ritus in festis diebus observatos, si perpendimus, tunc ex illorum scriptis erudimur, eosdem ferè fuisse. Celebrabatur apud ipsos Δαφνηφόρια, Festum apud Bœotos *Apollini, Ismenio* & *Galapio* dicatum. Meminit ejus *Proclus in Chestomathia*, cum inquit: Παρέπεμπον δὲ τὴν δαφνηφορίαν εἰς Ἀπόλλωνος ἰσμηνίου, καὶ γαλαξίου. Singulis autem novenniis agitabatur, *Lauri* in illo à Sacerdotibus, qui propriè Δαφνηφόροι i. e. lauriferi cognominati, gestabantur, hymnisque *Apollo* celebrabatur; unde & nomen habet ἀπὸ τῆς δάφνης φορᾶς à *gestatione lauri*. Præerat his *Daphnephoris* puer ἀμφιθαλὴς i. e. cujus uterq;

parens superstes, cui alius, qui valde familiaris, lignum coronatum gestabat, κωπὼ nominatum. Deinde subsequabatur *alius*, *laurum* manu gestans, inde Δαφνηφόρος i. e. *laurifer* dictus, ut *Proclus* eodem refert loco. Præterea incedebat ὁ Δαφνηφόρος capillis dimissis & fluxis, aureaque redimitus corona, splendidaque veste talari indutus, calceisque, quos Græci Ἰφικρατίδας vocabant. Hunc virginum chorus comitabatur, ramos ad supplicationem, quæ hymnis celebrabatur, prætendens. Sic *Athenis* Ἀνθεστήρια *Floralia* habebantur. Hoc festum *Baccho* sacrum erat, indeque dictum, quod in eo Athenienses ἄνθη *flores* inferrent. In his sacris etiam solebant *hederam* coronare. Hinc τὸ περιφερόμενον καὶ πολυθρυλλούμενον ortum est: κισσὸς μετ' Ἀνθεστήρια i. e. *Hedera post* Anthesteria, Epheu nach dem Fest/oder Tantz. Ita in festo, quod ὑακίνθιαν vocabant, coronabant se *hederâ* vide *Hasychium* it. *Athenæum lib.* 4. & *VI.* & *Macrobium.*

§. 4.

In festo πυανέψια ramū *ramum oleaginum*, qui

qui Græcè Εἰρεσιώνη appellatur, circumferebant. Erat autem *ramus* iste oleaginus lanâ obvolutus omnigenisque terræ fructibus onustus, quem supplices apud Græcos olim quotannis stato tempore in honorem *Cereris*, vel juxta alios *Apollinis* ante ipsius templi fores, vel ut alii volunt, ante ædium januas ad arcendam famem seu pestem ex Oraculi præcepto statuebant. Vid. *Carol. Paschal. lib. 5. pag. m. m. 332. de coron. Suid.* in Εἰρεσιώνη & *Schol. Aristophan. ad Equit.* Hæc Εἰρεσιώνη per totum annum foribus appendebatur & integra servabatur, donec redeunte anno nova reponeretur, uti nobis refert *Scholiast. Aristophan. ad Plut.* Confer *Johan. Fasold. ἱερολογίαν Græcorum veterum. pag. m. 217.* Quid dicamus de *Siculorum* & *Argivorum* Ἀνθεσφόρια seu *Floriferto*, ubi virgines floribus ornatæ festum agitabant. Pari modo in *Supplicationibus Senatores Patricii* cum *conjugibus* & *liberis* coronati, nonnunquam quoque omnes ordines præeunte *Pontifice Maximo* & præcedentibus pueris virginibus patrimis & matrimis coronatus vel aurum

tenentibus manu ſolenniter incedebant. Non ſolùm hic mos apud *Græcos* ſed etiam *Sinas* viguit in Feſtis publicaque lætitia, uti ſcribit *Maphæus lib. 6. hiſtor. Indicar.* ubi cum de novi anni celebritate narraret, ita literis tradit: *Parietes*, inquit, *fornicesque viridi fronde, micantibus roſis, & pretioſo periſtromate veſtiuntur. Fragrant odoramentis ac floribus viæ; accenſis funalibus ac laternis arbores, pergulæ, feneſtræ collocant &c.*

§. 5.

Hic mos quoque obſervatus fuit in feſtis nuptialibus, uti notavit *Ovid. de nuptiis Hypermneſtræ:*

Undique collucent præcinctæ lampades auro
Dantur in invitos impia thura focos

Quas ego non de prælatis tantum, ſed de ſuſpenſis accipio. *Statius* de nuptiis *Stellæ lib. 1. Sylvar.*

Fronde virent poſtes & fervent compita flammis.

Claudian. de Nuptiis Honorii & Martiæ.
Alii funalibus ordine ductis &c.

Huc

Huc spectat *Sencea in Thyeste Act.* 1. sub initium.

Ornetur altum columen, & lauro fcres,
Lætæ virescant &c.

In aliis quoque *Conviviis* hilaribus *flores* conspicimus.

Coronæ etenim & flores in conviviis adhibebantur, non tantùm honoris Deorum aut lætitiæ causa, sed maximè ut vapores è vino & cibis cerebrum petentes infringerent. Audiamus hac in re *Plutarch. Sympos.* 3. *c.* 1. qui moris fuisse ostendit, ut floribus caput redimerent firmando cerebro. *Ideô*, inquit, *maxime floreas coronas ex collo suspendentes hypothymiadas vocabant, quasi pectorales & pectora unguento ex iis ungebant.* Calculum his addit *Athenæus Deipnos. lib.* 15. his verbis: Iis, quorum caput meri potione tentaretur, opus remedio fuit; promtissimum id erat ex florum fasciculis ac sertis. Confer. *Ioh. Douyhtæi analect. sacr. part.* 2. *pag. m.* 175. *Iul. Cæs. Bulenger. de conviv. lib.* 3. *c.* 24. *pag. m.* 289. *edit. Lugd.* 1627. *Guilielm. Stuck antiquit. Convival. lib.* 3. *Dieter. Dissert. de spars. flor. pag. m.* 15. Ubi plures adferuntur autores.

Ex his &aliis constat, quod flores & rami in rebus latis usitatissimi fuerint.

§. 6.

Honorem *Phyllobolia* etiam Diis Deabusque exhibitum fuisse multis testimoniis approbant Scriptores. Horum quædam in medium proferemus. Apud *Lucretium lib. 5.* legimus, *Venerem* in pompa quasi antecedit *Flora præspargens & vias cuncta coloribus egregiis & odoribus opplet.* Sic apud eundem *Cybele* Mater Deûm excipiebatur:

— cum primum magnas inverta per urbes
Munificat tacitâ mortales muta salute
Ære atque argento sternunt iter omne viarum
Largifica stipe ditantes; pinguntque rosarum
Floribus umbrantes Matrem comitumque catervas

Et *lib. 2.* ibidem legitur:

— scena croco Cilicum perfusa recenti
Araque Panchæos exhalat propter odores.

In pompa *Isidis* apud *Apulejum lib.* X. Mulieres candido ſplendentes amicimine, verno florentes coronamine de gremio, per viam, quâ ſacer incedebat comitatus ſolum ſternebant floſculis: quædam unguentis, & geniali balſamo guttatim excuſſo, conſpergebant plateas, & Pſychen, quaſi Deam, per plateas commeantem populi floribus, ſertis & ſolutis, ad precantur. *lib.* 4.

§. 7.

De *Segeſtanarum Diana Cicero Orat.* 9. *in Verr.* refert, quod floribus & coronis conſperſa fuerit. Operæ pretium eſſe duximus verba ipſa adſcribere: *Quid hoc tota Sicilia eſt clarius? quàm omnes Segeſtanas matronas & virgines conveniſſe, cum Diana exportaretur ex oppido? unxiſſe unguentis? compleſſe coronis ac floribus.*



CA-

CAPUT VI.

DE

Distinctione Phyllobolíæ & quibus exhibita.

§. 1.

DIstinguebatur autem Phyllobolia in *publicam & privatam*. Publica erat, quâ publico mandato unanimique consensu ac voto, viæ, per quas honorandus ingressurus erat, floribus conspergebantur. *Privata* autem non ideò solennis erat & sine mandato peragebatur. Ritus igitur talis erat; Veteres quos insigni honore ac benevolentia complectebantur, eos φυλλοβολίας specie inter alios dignari solebant. Cumprimis autem hâs prosequebantur *Heroas*, *Victores* ac in universum *Viros illustres*, si vel ipsi eos invisebant aut accedebant, vel, prout instituti ratio postulabat, ab ipsis introduci debebant. (2) eos, quibus vel ingredientibus vel discedentibus fausta ac felicia omnia apprecabantur. (3) Tandem tales qui de Republica præclare essent meriti, sibique eandem ingenti beneficio devinxerant, sive adhuc inter vivos seu jam inter plures agerent:

rènt: adeoque publicæ lætitiæ communiter fuit argumentum, quod nunc singulatim singulis membris fusius monstrabimus.

§. 2.

Hoc itaque honore afficiebant *Heroas*, *Victores* & *viros* illustres, *Heroes* unde dicantur non convenit. *Plato in Cratyl. pag. 274.* ab εἴρειν dicere, loqui, derivat, quod *Rhetores* & *Oratores* admirabiles cæteris hominibus heroica proles crediti sint. Verba ita se habent: Quare, ut modo dicebamus, *Attica* voce Heroës, *Rhetores* quidam & Disputatores & amatorii videntur. Unde Rhetorum Sophistarumque genus heroica proles existit. Idem *Plato* etiam vocem descendere vult ἀπὸ τοῦ ἔρωτος ab amore, quod omnes *Heroës* vel ex amore Deorum erga mulieres humanas, vel ex amore virorum erga Deas sunt geniti. *Augustinus lib. 10. cap. 21. de Civ.* Dei *ab* ἥρα id est *Junone* originem traxisse credit, eò quod *Junoni* aër sit dicatus, in quo fingitur *Heroas* cum *Dæmonibus* habitare. Alii tamen ab ἔρας dictum volunt i. e. terra, quasi *Heroëes* terreni Dæmones seu Dii fuerint. Quicquid sit: notatio nominis indicat, illos fuisse homine superiores. An verò Dii

fuerint,

fuerint, an Dæmones, an tertium quoddam genus ab illis distinctum, non patet. *Aristoteles* non tam ad Deos, quàm ad peculiare genus *Heroas* videtur referre, licet eosdem etiam Deorum numero asserat. Distinguit eos *lib. 7. c. 12. Politic.* ab *Heroibus*, dum ait: Fama quoque per agrum esse debent, tum Diis, tum etiam *Heroibus* distributa scil. vel vivis vel etiam defunctis. Quidam dixerunt, nullum esse dubium, *Heroas* à Veteribus dictos fuisse homines illustres præ reliquis mortalibus virtute & meritis eminentes.

§. 5.

Hi *Phyllobolia* afficiebantur, quod partim exemplis ex *Latio*, *Asia* & *Græcia* deductis fiet manifestum. Sic *Herodianus* id sparsim luculentis comprobat documentis, ut *lib. 1. c. 7. n. 10.* ubi refert *Commodi* adventum in urbem Romam εὐφημίαις παντοδαπαῖς καὶ στεφάνων καὶ ἀνθέων βολαῖς *faustis omnimodis acclamationibus, nec non coronarum florumque sparsionibus excepisse.* Quemadmodum & de *Antonini Caracallæ* ingressu in urbem *Alexandriam lib. 4, cap. 8,* Inter alios honores ipsi obla-

oblatos, nempe præter concentum Musicum, aromata & suffimienta incensa, δαδουχίαις καὶ ἀνθεῶν βολαῖς cum honoratum recenset. Adde eundem autorem *lib. 5. c.6. n. 18. lib. 7. c. 10. n. 15.* & alibi passim. De *Juliano Ammian. Marcellin. lib. 21. Suburbanis propinquantem militaris & omnis generis turba cum lumine multo & floribus votisque faustis, Augustum appellans & Dominum duxit in Regiam.*

§. 4.

Sic apud Persas mos obtinuit, ut *floribus* & *odoribus* vias, quibus Rex sublimis incedebat, sternerent, teste *Herodoto lib. 8.* his verbis: *Et primus quidem nuncius Susa perlatus Xerxem Athenis potitum esse, tanta Persas, qui relicti erant, voluptate affecit, ut omnes vias myrto constraverint, & per eas odores incenderint, & ipsi in sacrificiis & gaudiis versarentur.* Confer. *Barnab. Brisson.* de *Regno Persar. lib. 2. pag. 271.* Pari modo *Herodotus lib. 7. c. 54.* qui non immeriò pater Historicorum, puta exterorum, salutatur, refert de

Xerxe,

Xerxe, quod cum ponte Hellespontum junxerit ac suos præmonitos ad virtutem bellicam trajecerit, *tantisper fuerit moratus, dum Solem orientem* (more Persarum qui cœlo albente prospera quæque censurâ existimabant) *conspexerit*; *Ubi omnifarios odores in pontem congesserint, myrto iter consternentes*, quod scil. Rex ingrediebatur. Pariter Q. *Curtius l. 5. c. 1. Alexandro M.* Babylonem diurnis nocturnisque itineribus contendenti, siquidem ibidem Gaza regia *Darii* custodiebatur, non tantum *Mazaum* præfectum urbis cum liberis ac conjuge supplicem occurrisse refert; sed quod cum postea ipsam urbem quadrato agmine ingressus fuerit B*agophanes arcis & regiæ pecuniæ custos totum iter floribus coronisque constraverit, argenteis altaribus utroque latere dispositis, quæ non thure modo, sed omnibus odoribus cumulaverat*. Uti & rursus *lib. 9. c. 10.* de Alexandro Liberum patrem æmulante commemorat, quod *animo super humanum fastigium elato, vices, per quos iter erat, floribus coronisque sterni jusserit*.

§. 5.

Simonem quoque summum Sacerdotem,

tem, magnum Ducem ac Principem Judæorum post debellatam urbem, & acceptam deditione hostium arcem Jerusalem cum laude & ramis palmarum, in eam more triumphantium ingressum sacræ literæ prodiderunt. Libro enim *1. Machab. cap. XIII.* legimus hæc verba: *Intraverunt in eam tertia & vigesima die secundi mensis, anno centesimo septuagesimo primo cum laude & ramis palmarum, & cynniris & cymbalis & nablis & hymnis & canticis, quia contritus est inimicus magnus ex Israël.* Romæ Triumphantes *florum sparsione* excepti, *Appianus* 1. *Punic.* vid. *Joh. Henric. Ursin. Analect. sacr. vol. lib. 1. c. 39. pag.* 48. *edit. Francof. 1658.* *Ovidius de Germanico* ita canit:

Quaque ibis manibus circumplaudêre tuorum
Undeque iactato flore tegente vias.

Cum Romam ingrederetur *Severus*, urbs tota ἀνθέσι τε καὶ δάφναις ἐστεφάνωτο floribus & coronis ornabatur vid. *Xiphilin.* Conferatur Dieteric. *dissertat. de sparsione florum them. 2. §. 5.* ubi de hac materia plura.

§. 6.

Naves etiam in lætitia & victoria ramis coronabantur, Ita enim explicamus illud *Virgilii Georg. 1.*

Ceu pressæ cum jam portum tetigere carinæ
Puppibus & læti nautæ imposuere coronas.

Quo etiam ſpectavit *Propertius*:

Ecce coronatæ portum tetigere carinæ,
Trajectæ Syrtes: anchora jacta mihi est.

Ovidius lib. 3. Amor. Eleg. 1?. quaſi ex amore victoriam retuliſſet, ita canit:

Jam mea votiva puppis redimita corona
Læta tumeſcentes æquoris audit aquas.

Ovidius libr. 2. de remedio amoris:

Hoc opus exegi: feſſæ datæ ſerta carinæ,
Contigimus portum quo mihi curſus erat.

Corymbis autem ornatas naves non ſemel apud *Valerium Flaccum* legimus, quos tametſi

tametsi pro navium rostris nonnulli accipiant; *Suidas* ramorum extremas partes interpretatur; idque Græco epigrammate confirmat. Coronabantur prætereà naves apud Romanos mense *Junio*, in *Fortis Fortunæ* festo, & per medium amnem convivia celebrabantur teste *Ovid. lib. 6. Fast.* *Athenæus in Dipnos.* hoc de coronatis navibus affirmat, ita disserens: *Chrysogonus, inquit, stola indutus Pythica, τὸ τριηρικὸν, tibia canebat, cum Alcibiades purpureis demissis velis, jussisque remigibus remis incumbere, navibus coronatis ob victos Lacedæmonias, Pyreum portum ingrediebatur.* Plutarchus autem in *Alcibiade* addit ex *Duri Samio*, Prætoriam navim quâ Alcibiades vehebatur, veluti ex Bacchanalibus redeuntem, cum purpureis velis portum ingressam, hoc est, thyrsis, hederaque ornatam fuisse. *Lucullus* etiam ut scribit *Appianus in Mithridatico*, capto apud *Lemnum* Insulam Varo, Alexandro, ac Dionysio Eunucho, navem lauro ornatam: ut *in Victoria*, inquit ille, *mos est*; cum literis Romam misit. Conf. *Carol. Paschal. de Coron. lib. 4. cap. 18. pag. m. 259.*

§. 7.

§. 7.

Affecti quoque φύλλων βολαῖς οἱ Ἱεϱονῖκαι vel illi qui in *Olympicis* ac *Isthmicis ludis* victoriam reportaverunt, aliosque multis parasangis post se reliquerunt. Ut autem constet, quid sint ludi *Olympici* & *Isthmici*, observandum, quatuor solennes fuisse ludos, quos alii certamina vocant: *Olympica*, *Pythia*, *Nemea*, *Isthmica*, & eorum brabea in sola *corona* ἐν ϛεφάνῳ μόνῳ erant: Unde & ϛεφανῖται & φυλλῖναι appellabantur. Celebrabantur Olympica quarto anno, & ab *Hercule* Alcmenæ filio in honorem Jovis instituta, vid. *Carol. Paschal. lib. de coron. cap. 4. lib. 6. pag. 346. Anton.* Borremans. *var.* Lect. *lib. cap* 12. *pag.* 146. *seq.* Quinque certaminum generibus certabatur, *cæstu*, scil. *cursu*, *saltu*, *disco* & *palæstra*. Qui in aliquo vicissent genere *Olympionicos* dicebantur, qui pugilatu simul valebat *Pancratiastes* & qui in omnibus prævaluïsset πένταθλος *Quinquertio* vocabatur. Conf. *Arist. lib.* 1. Rhetor. *c.* 5. Præmium victoris erat *corona* ex *olea* vel *oleastro*, non tamen ex quovis coronæ victoribus dabantur sed èvocata CALLISTEPHANO sicut tradit *Pausan. in Eliac.* de quibus agit *lib.*

P.

ſe oſtendit, quem *calliſtephanum* appellant, quaſi *coronarium* dies. Simile tradit *Ariſtoteles in admirabilibus Auſcultationibus* & ex eo *Scholiaſtes Ariſtophanis.* Conf. *Carol.* Paſchal. *lib. 6. de coron. cap. 18. pag. m. 395. ſeq.* Athletas non ſolum coronatos ſed & floribus & ramis conſperſos fuiſſe tradidit *Scholiaſtes Euripidis in Hecubam. pag. 52.* cujus ritum magnam partem *Suidas* voce περιαγειρόμενοι pœne iiſdem verbis prodit. Idque & *Caſparus Stiblinus pag. 10.* confirmat, ita ſcribens: *Solebant antiquitus victores in certaminibus frondibus etiam à circumſtante corona conſterni.* Itemque *Clemens Alexandrinus* cum *lib. 2. Pædagog. c. 8.* inter vetuſtiſſima agonum præmia tertio loco φυλλοβολίαν recenſet.

§. 8.

Sciendum itaque hoc loco, quòd, cum præco *athletam* victorem renuntiaſſet, non illicò corona data fuerit, ſed *arrha*, quæ *virga* fuit, ſeu ramus è palma, non præmium victoriæ, ſed ſignum. Et hæc eſt illa δόσις, quam Clemens Alexandrinus primo Athletis datam memorat ſupra citato loco. Hanc virgæ dationem ſequebatur ἐπεγερμὸς incitamentum ſeu adhortatio.

Postea *conjectus foliorum* φυλλοβολία. φυλλοβολεῖν enim significat conjicere folia sive flores in Victores è paratâ materiâ. Nempe tales foliorum & florum conjectus accipiebantur pro insigni gratulationis argumento. Et hoc est illud apud *Aristidem* στεφανῶσαι coronatum esse. Hoc modo igitur interpretamur locum *Plutarchi in Alcibiad.* ubi ait, Alcibiadem exeuntem è navi concursu hominum coronatum fuisse. Quando itaque Athleta victoriam consecutus, virgâ datâ & plausibus factis floribus, frondibus & foliis, quæ erant ex oleastro, totus conspergebatur.

§. 9.

Pythia sequuntur certamina, quæ in honorem *Apollinis* sunt celebrata, instituta ab *Agamemnone* vel alio quodam, de qua re videndæ sunt antiquit. Græcæ *Pfeifferi lib.* 1. *cap.* 50. *pag. m.* 129. Certabatur in his ludis à juvenibus *pugna*, *bigis cursuque*. Victores primum ex *esculo Jovi* sacra, deinde *Lauro Apollinea* coronati sunt. vid. *Pfeiff. antiquit. Græc. lib.* 1. *cap.* 5. *pag.* 132. Anton. Borrimans *var. Lect. lib. cap.* XII. *pag.* 147. *Carol. Paschal. de coron. lib.* 6. *pag. m.* 430. seq. In *Nemeis* ludis corona

ex

ex *apio* & *pinu* erant. vid. *Carol. Paschal. c. 26. pag. 435. de coron. Borremans. cit. loc.* Sic in *Isthmicis* floribus & coronis exornabantur. vid. *Pfeiff. antiq. Græc. lib. 1. c. 52.* aliosque.

§. 10.

Imò non tantum dicti victores sed & quilibet, *triumphum ab hoste* reportantes. Sic enim *Pausanias in Messenica* refert *lib. 4. pag. 245. edit. Græco-Latin. Sylburg. Aristomeni* Messeniorum Duci ex prælio *ingredienti mulieres quacunque incesserit* ταινίας καὶ τὰ ὡραῖα i. e. *tænias & ut anni ferebat tempestivitas flores & fructus conjecisse.* Præterea & omnes vias urbis, per quas triumphus ducebatur, floribus, sertis ac suavissimis odoribus cumulare solebant. Eximium hujus rei exemplum apud *Plutarch. in vita Æmilii Pauli* legimus, quod *populus in circis, foro, aliisque locis unde triumphi pompa cerni potuerit, fixis tabulatis desuper spectaverint purâ veste induti, Omnia templa aperta sertis ac suffitibus consperserint:* Cujus etiam *Ovidius* meminit *lib. 4. Trist. Eleg. 2. v. 49.*

Quaqúe ibis manibus circumplaudêre tuorum
Undique jactato flore tegente vias.

Et *lib. 2. epistolar. ex Ponto Epist.* 1. *v.* 36.

Quaque ierit, felix adjectum plausibus omen
Saxaque jactatis (velut alii roratis) *erubuisse rosis.*

Et sic intelligendus est *Tacitus lib. 2. histor.* ubi agens de victoria *Othonis populus,* inquit, *cum lauru & floribus* Galbæ *imagines circa templum tulit, conjectis in modum tumuli coronis juxta lacum Curtii* i. e. tulere imagines *Galbæ* redimitas corollis laureis & floribus, quas in eum acervatim conjecerant. Quidam verò, inquit *Plutarchus in Jul. Cæs.* & coronas in ipsum, sicuti *athletam* & flores conjecerunt. Hoc exemplo milites *Teleutiam* Ducem *Lacedæmonium* redeuntem *Spartam* ingentibus studiis prosequuti sunt. Horum alius eum coronavit, hoc est, flores & folia in eum conjecit, alius tæniis eum donavit. Qui autem intempestivi erant, coronas in mare projecerunt, illique omnia bona precati sunt. Qui sanè conjectus non tantum fiebat humana manu, sed sæpe divina; quæ eos demon-

demonſtrabat, qui aut jam viciſſent, aut inibi erant, ut vincerent. Id quod accidit *M. Lucullo*, ejusque militibus, *Plutarcho autore in Sylla*, quos aura ſuavis è proximo prato ſponte conſperſit tanta multitudine florum, ut ſcuta & galeæ iis coopertæ eam ſpeciem hoſtibus præbuerint; quæ *Luculli* exercitum coronatum demonſtraret.

CAPUT VII.

DE

Phyllobolia in ingreſſu nec non ſparſione unguentorum, & unde ritus lucernas (Freuden-Feuer) accendendi vinum ſpargendi (Wein lauffen laſſen) & & tormenta bellica diſplodendi originem traxerint?

§. I.

ORiginem harum ceremoniarum ſequentium non aliunde, quam à φυλλοϐολία acccerſimus. Notum enim eſt, quod ingredientibus Regibus populus cum floribus & ramis occurrerit, teſte *Plutarcho in Pompejo* ita ſcribente; Pompejum hoc honore exceptum in *Neapolis* ingreſſu: *Multi præterea*, inquit, *ſertis ornati ſub lampadi-*

bus eum suscipere, flores in eum jacere, gradientem usque comitari. Similiter Demochares lib. 5. & 28. *Historiarum* apud Athenæum lib. 6. c. 6. differit: *Athenienses Demetrium ex Leucade Corcyraque Athenas venientem, non solum fumorum odoribus, coronisque, ac vina effundentes exceperunt: verum etiam chori Ithyphallique cum sacris cantilenis tripudiantes ac canentes ei occurrisse,* Flores & coronas spargere in Principes priscis seculis usitatum docet *Livius lib. 33.* qui in hæc prorumpit verba: *Omnes tendere ad Imperatorem Romanum, ut ruente turba in unum, adire, contingere dextram cupientium, coronas, lemniscosque jacientium, haut procul periculo fuerit.* Capitolinus in M. Antonino: *In Saliatu omen accepit Imperii, coronas omnibus in pulvinar ex more jacientibus.*

§. 2.

In Principibus viris excipiendis non modo *flores* sparsos & odores incensos legimus, sed etiam *unguenta* profusa loco florum, *Antiochus Syriæ Rex* in pompa, quam in honore *Daphnes* instruxit, ducentas ferè puellas induxit, quæ vias unguentis conspergerent, quod *Athenæus lib. 5. c. 4.* confirmat

ita

ita ſcribens: *Acceſſerunt & ſexcenti pueri Regii aurea vaſa habentes: mulieres poſtea ducentæ ferè unguentis ex pelvibus aureis aſpergebant.* De incenſis odoribus idem lib. 6. c. 6. quem paulò ante adduximus locum. Non diſſimilis apud *Sinas* etiam mos, de quo *Maphæus lib. 6. Hiſtor. Indic.* Fragrant odoramentis ac floribus viæ, ſimili apparatu *Metellus pius* in ulteriorem Hiſpaniam veniens exceptus, ut narrat *Macrobius* ex *Salluſtio*, qui de illo in hunc modum ſcribit: *At Metellus in ulteriorem Hiſpaniam poſt annum regreſſus, magna gloria, concurrentibus undique virili & muliebri ſexu, per vias & tecta omnium viſebatur. Cum Quæſtor. C. Urbinus aliique cognita voluntate, eum ad cœnam invitaverant, ultra Romanorum, ac mortalium etiam morem curabant, ex ornatis epulis, per aulæa & ſigna ſcenisque ad oſtentationem hiſtrionum fabricatis, ſimul croco ſparſa humus &c. tum venienti thure quaſi Deo ſupplicabatur.* At *Alexander* ille Magnus *unguenta* etiam addit, quibus ſibi ingreſſuro pavimenta ſpargi volebat, addito etiam vino odorifero

ut nihil illi ad divinum ſui cultum deeſſet. Teſtem iterum habemus prælaudatum *Athenæum lib. XII. cap. 8.* diſſerentem hoc modo: *Conſpergebat pretioſo unguento, vinoque odorifero pavimentum* Alexander, *myrrhaque, & aliis ſuffimentis ſibi ſuffumigari videbat.* Suetonius etiam in *Nerone c. 25.* de ejus in urbem cum ſolenni pompa ingreſſu: *Incedenti paſſim victimæ cæſæ, ſparſo per vias identidem croco, ingeſtæque aves, ac lemniſci bellariaque.*

§. 3.

Ingredientibus præterea urbem principibus viris hunc honorem habitum videmus, quod cùm lucernis excepti & lampadibus fuerint cum apud Hæbræos, tum apud Romanos aliasque nationes. *Machabæorum libro cap. IV.* *Antiochus* Rex *Jeroſolymam* ingrediens cum facularum luminibus exceptus eſt. *Judith* etiam 3. Duci *Holoferni* univerſæ urbes *Syriæ*, *Meſopotamiæ*, & *Syriæ Sobal*, *Lybiæ* atque *Ciliciæ* cum ramis & lampadibus obviam exiêre. Ita enim ſacræ paginæ. *Tantusque metus provinciis illis incubuit, ut univerſarum urbium habitatores, Principes & honorati viri ſimul cum populis exirent in obviam venienti, excipientes*

pientes cum coronis & lampadibus, ducentes choros in tympanis & tibiis. De *Romanis Plutarchus in Pompejo* de ejus in *Neapolim* ingressu. Multi præterea sertis ornati, sub lampadibus eum suscepêre. *Sueton. de Julii Cæsar. triumpho. c. 37.* Ascendit Capitolium ad lumina quadraginta Elephantibus Lychnuchos gestantibus, ubi Lychnuchi dicuntur, qui lucernas gestabant: quod etiam luminis est, ad lumina præferentes transtulit. In *Ptolemæi* etiam pompa lampades prælatas apud *Athenæum* legas *lib. 5. cap. 5.* Aderat etiam umbraculum, atque in quatuor angulis ipsius currus lampades erant inauratæ. Et paulo post in eodem capite: *Thuribula præterea trecenta & quinquaginta aurea, atque inaurata & coronis aureis ornata processerunt, in una quarum faces quatuor decem cubitorum erant infixæ.* Et Satyri etiam ibidem lampades ferunt: *Succedebant his Satyri in singulis partibus spatii viginti aureas lampadas in hederarum folia incisas ferentes.* Antonius etiam Triumvir, ut tradit *Athenæus lib. 4.* in *Athenarum* arcem acceptus est illustrata urbe lampadibus è tectis fulgentibus: *Transibat*, inquit, *etiam*

aliquando ut is asserit (Socrates Rhodius) in arcem cum lampadibus è tectis universa Athenarum civitate faces præferente: & *Antonius* Imperator eodem honoris genere dum Alexandriam ingreditur, decoratur, ut scripsit *Herodianus*. Nam de *Teridatis* in Romam adventu, & *Neronis* è Græcia reditu historiæ multa referunt, quæ silentio transimus.

§. 4.

Verum de igne Regibus Imperatoribusque prælato consulito *Xenophon. de Reg. Lacedæmon.* & *Johann. Stobæ. in collectan. locor. commun. sermon* 42. *Herodot. in Urania lib.* 8. sub initium: *Philon. lib. 2. de rit. Mosis.* Atque ut ex *Actis Sancti Sylvestri* Latinè scriptis constat, Imperator *Constantinus* post habitam ad Senatum Populumque Romanum orationem de Christo recipiendo, omnibus Christianis & infidelibus hanc legem laudantibus & vitam *Augusto* optantibus, finis ejus rei factus est: & revertente *Augusto* ad palatium tota civitas cereis, lampadibusque repleta coronata est. *Cedrenus* etiam in compendio *Histor:* tradit, populum *Heraclio* Constantinopolin ingredienti frondes oleaginas

facesq;

facesque gestantem occurrisse. Nonne simile reperimus & conspicimus hodienum usitatum esse: Nam quoties Rex solennem ingressum celebrat, lampades & ignes lætitiæ causa accenduntur: Es werden Freuden-Feuer angestecket/ quemadmodum moris est in *Anglia* & sæpissime in *Italia*. Fuit igitur communiter hoc florum & coronarum sparsio publicæ lætitiæ argumentum, consimili ferè modo, quemadmodum nostrates diebus lætitiæ destinatis, pulverem nitratum artificiose compactum (Ein Freuden-Feuer) accendere, sclopeta & tormenta bellica displodere solent. Nec aliunde, quam ex *sparsione* florum accersendus ritus *vinum fundendi*, qua ex scaturigine artificiosè vinum emittitur: Man lässet an solchen Freuden-Festen rothen und weissen Wein springen/ uti in inauguratione Imperatoris vel alius Electoris fieri solet, id quod etiam ex *Athenæo lib.5. c.5.* de Pompa *Ptolemæi Philadelphi* discimus, qui in hæc prorũpit verba: *Scaturiebant ex ipso* (curru) *binæ scaturigines, hæc aquæ, illa vini.* Simile conspicimus in inauguratione *Maximiliani*, uti eleganter descripsit

Guilielm. Stuck. in antiquit. Convival. fol. 51. his verbis: Ante Curiam *album & rubens* vinum duabus fistulis per speciem bicipitis Aquilæ, editæ columnæ impositæ subterranea derivatione perfundebatur. Sic *Neapoli* in *Friderici* Cæsaris adventu pluribus diebus nobilissima vina in speciem aquæ extemporariis fontibus ubertim fluxerant. *Sab. lib. 8. c. 7.* Ita *Jovius lib. 37.* de *Caroli V.* coronatione meminit. *Is*, inquit, dum *Bononiæ coronabatur è lacubus, qui in summo prætorianæ porticus fornice fuerant, fabrefacti per Siphones rubra & alba vina fundebantur.* Et hoc etiam factum in inauguratione *Leopoldi* Imperatoris semper Augusti historiæ referunt.

CAPUT VIII.

DE

Phyllobolia privata, & quibus facta.

§. I.

PRivata florum sparsio etiam frequens & usitata erat. Utebantur Veteres hoc ritu erga eos, quibus vel incedentibus vel discedentibus *omnia fausta ac bona precabantur.*

bantur. Hoc testatur *Lucret. lib. 2.* ubi agit de plausibus ac sonis, quibus Mater Deûm fuerat excepta, inter alia sic canens:

Ergo quamprimum magnas invecta per urbes
Munificat tacitâ mortales multa salute
Ære atque argento sternunt iter omne viarum
Largifica stipe ditantes, pinguntque rosarum
Floribus, umbrantes matrem comitumq; catervam.

Memorabile quoque est, quod de *Diagora* refertur apud *Gellium lib. 3. c. 15.* quod cum ipse tres filios habuerit adolescentes, *unum pugilem, alterum pancratiasten, tertium luctatorem, eosque omnes viderit vincere coronarique eodem Olympiæ die;* cum tres dicti filii patrem amplexi ac coronis in caput ipsius positis suavitati fuerint, populus glatulabundus flores undique in eum conjecerit; ubi tamen pater inter oscula & manus ipsorum animam præ gaudio efflaverit. Confirmat hoc *Pausanias Eliac. lib. 6. 7. p. 356.* eum, *conjicientibus in ipsum flores Græcis & liberum causa cum plausu beatum prædicentibus occidisse* scribens:

§. 2.

Geminum in modum & apud eundem *Gellium l. 5. c. 14.* non minus recensitu dignum exemplum occurrit *Androcli Servi*, qui cum leoni cuidam fuisset objectus, leo placidè ac veluti noscitabundus ipsum accedens, caudam more ac ritu adulantium blande movit. Quod cum circumstantes in admirationem rapuisset, adeo ut ipse Cæsar quæreret causam, *Androclus* postea cum hoc leone tota urbe circum tabernas ivit æreque donatus est, *Leo* verò floribus sparsus, & omnes ferè ubique dixerunt: HIC EST LEO HOSPES HOMINIS, HIC EST HOMO MEDICUS LEONIS. Similiter *Tacitus, lib. 14. Annal. c. 62.* prodit, quod cum *Nero* conjugem suam revocasset *Octaviam* multi è plebe læti in Capitolium ascenderint, imagines Octaviæ gestaverint humeris, sparserint floribus, foroque ac templo statuerint. Huc quoque collimare videtur *Virgilius* excitans populum Romanum, ut *Daphnidi* suo, hoc est, *C. Jul. Cæsari* recens defuncto honores debitos exhibeat, ita canens *Eclog. V. v. 40.*

Spar-

Spargite humum foliis inducite fontibus umbras

Pastores.

Conferantur *De la Cerdæ annotationes in hunc loc. fol.* 97. *seq.*

§. 3.

Hoc ritu etiam prosequebantur *benè de Republica meritos, aut alios amore & officiis sibi obstrictos, sive illi adhuc inter mortales agerent, sive Divorum numero essent adscripti.* Egregium ac luculentum hujus rei testimonium apud *Livium lib.* XXXIII. est de *Marco Tito Quintio.* Hic enim cum in *Isthmicis ludis* per præconem *Corinthios* aliosque Græcorum liberos & suis legibus esse jussisset, postea ludis dimissis cursu propè omnes tendere ad Imperatorem Romanum cæperunt &c. uti supra dictum. Confer *Flor. lib.* 2. *v.* 7. quæque ibi notavit *Freinshemius n.* 14. ut & ad *Curt.* 5, 1, 20. & 9, 10, 25 ubi multa veterum ac recentiorum laudat exempla. Consimili modo *Nearcho Alexandri* M. Duci contigisse testatur *Arrianus de rebus Indicis pag.* 197. *edit. Græco Latin. Henric. Stephan.* ut ipse quoquo versus per castra iverit floribus ac

sertis

ſertis fuerit petitus. Sic *Poëtas* & *Rhetores* eorumque fores & poſtes à Clientibus palmis & coronis coronatas fuiſſe teſtatur *Lucian. in Rhetor. Doctor circa fin.* Confer. *Urſini arboret. bibl. pag. m. 52. Carol. Paſchal. lib. 1. de coron. cap. XII. pag. 320. ſeqq.* Addi etiam poſſunt *Martyrum* ſepulcra.

§. 4.

Non verò tantum flores, ſed & alia omnis generis munuſcula, quæ ad manus erant, in eum, quem honore afficere volebant, conjiciebant, utpote *Zonas, tunicas, faſciolas, petaſos, lemniſcos* & *crepidas*, nec non ſimilia hujus generis. De *Zonis* legendus *Paſchal. lib. de coronis pag. 37.* Cætera vocabula facilè intelliguntur, modò prius explicetur, quid ſit *Lemniſcus*? Eſt autem, ut obiter addamus *Lemniſcus* verbum *Syracuſanum*, juxta interpretes, quo ſtricta auguſtaque tænia, vel faſciolæ purpureæ dependentes ex coronis ſignificantur, vid. *Carol. Paſchal. lib. 2. de coron. pag. m. 111. ſeq.* Cum prædictis munuſculis affectus fuit *Draco* ſeverus ille *Athenienſium* Legislator, ſed magno ſuo malo, imò interitu. Cum enim *Æginam* proficiſceretur, & ob latas leges

fauſtis

faustis acclamationibus populi in Theatro acceptus esset, multitudine petasorum, tunicarum & vestium in caput ejus conjectarum suffocatus interiit. Memorat *Suidas* voce Δράκων Inofficiosum sane erat officium, uti *Salvianus* loquitur, ita aliquem honorare ut inde moriatur. Multi etiam alii hoc ritu fuêrunt excepti, de quibus videatur dissert. Dieterici, tractatui huic in fine adjecta.

CAPUT IX.

DE

Phyllobolia ad statuas illustrium.

§. I.

SOlenne fuit veteribus, ut illi, qui singulari devotione erga Principes aliosve affecti esse volebant videri, statuas eorum subinde ornarent coronis. *Ambrosius Serm. 10. in Psalm. 118.* Qui coronat imaginem Imperatoris, utique illum honorat, cujus imaginem coronavit. *Irenæus lib. 1. advers. Hæres. cap. 24. de Gnostic.* Imagines quasdam, inquit, habent depictas, quasdam autem & de reliqua materia fabricatas has coronant.

ronant. Morem eum apud Græcos antiquissimum fuisse, ut *herœum* statuas post mortem corònarent, ex eo constat, quod de *Alexandro Magno Plutarchus in ejus vita cap.* XXIV. tradit, quod nimirum *ipse oleo unctus cum sociis circum Achillis statuam decurrerit, eam coronans*, cum videlicet illum transgressus *Minervæ & Heroibus* sacrificaret. Nec imponi solum coronæ sed & in statuas conjici solebant. Idem *cap.* XXVIII. Cum *Alexander Theodecta (Phaselites ille erat)* mortui imaginem in foro positam vidisset, post cœnam ei, bacchatus multa serta ingessit *Lucian. in Scytha. Athenis statua Toxaris*, etsi humi sita erat, *tamen frequentissimè sertis recentibus redimiebatur.* Ortum hoc ex eo, quod Numinum in statuis fieri solebat. De quo *Capitolinus* in vita *M. Antonin. Philosoph. c.* IV. in Saliatu, inquit, omen accepit imperii, coronas omnibus ex more jacientibus, aliæ aliis locis hæserunt. Hujus velut manu capiti Martis aptata est. Confer de his *Carol. Paschal. lib. 4. de coron. cap.* XII. *pag. 244.*

§. 2.

Cæterum amantes invicem etiam suas imagines coronabant. Unde est, quod *Plutar-*

Plutarchus Amatorio inter ἐρωτικὰ ponit etiam *redimire, sive sertis ornare imagunculas*, eorum nempe quos amarent. De statuis coronatis est & hic *Justini* locus *lib.* XVIII: Missi à Senatu in Ægyptum Legati, cum ingentia sibi à Ptolomæo Rege missa munera sprevissent, interjectis diebus ad cænam invitatis aureæ coronæ missæ sunt, quas illi honoris causa receptas, postera die statuis Regis imposuerunt. Quod ab antiqua consuetudine similiter profectum est; Nam habuêre veteres præ foribus ædium suarum alicujus Numinis simulacrum, quod sæpè discedentes è conviviis coronabant, coronâ ibi acceptâ. *Athenæ. Dipnosoph.* X, 10. *scribit Timæus Xenocraten, quam congiorum die festo acceperat coronam, cum domum rediret, injecisse Mercurio ante palatium erecto, quem coronis è floribus textis ornare frequenter solebat.* Fuerunt autem in universum tales coronæ partim ex *auro*; partim ex arborum, puta *quercus, oleæ & lauri frondibus.* De prioribus duabus *Martial. lib. 7. epigr. 24.* ubi *Charus* coronam sibi à Cæsare *Domitiano* donatam, *Cæsaris* statuæ reddidisse se dicit:

O cui

O cui virgineo flavescere contigit auro
Dic ubi Palladium sit tibi, chare, decus?
Adspicis & Domini fulgentes marmore vultus,
Venit ad has ultro nostra corona comas,
Albanæ livere potest pia quercus olivæ
Cinxerit invictum quod prior illa caput.

Ubi insinuat solitam *Domitiani* statuam aliàs querna insigniri, quæ nunc potuerit videri oleagineæ *Chari* coronæ præreptum sibi honorem invidere. De *lauru* cujus præcipuus usus iu gratulationibus amicorum testis est *Cicero pro L. Murena* ita scribens: *Quo se vertet: domumne? ut eam imaginem Clarissimi viri, Parentis sui quam paucis ante diebus laureatam in sua gratulatione conspexit, eandem deformatam ignominia, lugentemque videri?*

§. 3.

Redimiebant quoque *tæniis* & foliis inauratis non caput modò, sed etiam pectus in statuis eorum, à quibus beneficium accepêre. *Lucian. Philopseud.* Vidi statum *Pelichi* Medici à dextra Saturni, quæ tænias coronasque aridas habebat pectoreque folia quadam inaurata. Ego, inquit, *Eucrates*,, ea inauravi, cum me sanasset triduo febre per-

pereuntem. Præterea ſpargebant etiam *floribus*. Quod genus honoris ipſis alioquin hominibus conferri ſolebat, *cum vivis*, quod redditâ *Achajæ* libertate bello Macedonico primo Conſuli *Flaminio* contigit. Quid, inquit, *Florus* II. 7. *florum in Conſulem profuderunt*. Et *Ariſtomeni*, *Pauſan*. *Meſſenic*. item *Caracallæ*, *Herodian*. IV, 15. tum *mortuis*, partim in *feretro*, partim in *ſepulcris*

CAPUT X.

DE

Phyllobolíæ myſtica ſignificatione.

§. I.

IN præcedentibus vidimus Deos, Deasve, Imperatores & Principes feſtis diebus lætis floribus & frondibus ornatos fuiſſe, id quod ſanè non fortuito, ſed ex aliqua myſtica ſignificatione factum fuiſſe aſſerimus. Conſpicimus etiam hunc ritum *Chriſto* quoque exhibitum acclamante populo *HOSANNA*. Hinc dubitari non poteſt, quin ſi Chriſtum eo ritu & acclamationibus profeſſi ſint, *Meſſiam* verum agno-

agnoverint, cum dicant, *Regem* pariter ac *Deum* dicant necesse est. Deum namq; quin eâ ratione professi sint, negari non potest, cum id genus honoris non nisi Deo exhibere soliti sint. Quid enim aliud olivæ? quid palmæ Christo ingredienti prætensæ, nisi veri Dei verique Regis manifesta confessio? Rectè itaque vetus Poëta:

Perque viam ut Regi velamina purpurata
Arboreaque solo frondes, & olentia serta
Sub pedibus stravere, Deum omnes voce fatentes.

§. 2.

Significare etiam potest ramorum & florum sparsio humanarum rerum conversionem, fragilitatem que suam, quæ arboris symbolo indicatur, & firmitatem atque Constantiam à Deo, cui prætenderentur, exposcere. *Clemens Alexandrinus Strom. lib. 5. Dionysii Thracis* Grammatici *in lib. de Declarat. Symb.* de rotulis, sententiam laudat dicentis; Veteres per verba, & per Symbola significasse. Per Symbola autem ut & rota quæ vertitur in Deorum templis quæ tracta

tracta est ab Ægyptiis, & rami, qui dantut iis, qui adornat. Dicit enim *Orpheus Thracius*:

Ramorum ut quis sunt hominum terrestria curæ
Non uno stant fata loco, in mente omnia circum
Volvuntur: nec fas unâ est consistere parte
Ut cœpit cursus

Et quidem genus: *Homerus Iliad.* 6 simile facit foliis hominum

Persimile est foliis hominum genus omne caducis.
Quæ nunc nata vides pulcrisque virescere sylvis
Autumno veniente cadunt.

§. 3.

Hoc etiam evenit Christo, mox excipitur cum jubilo & ramis, mox crucifigitur & coronâ spineâ coronatur, Ex ramorum frondibus quoque cognoscere licet, quam instabilis & labilis sit gloria mundi. Ita etiam passionem CHRISTI acerbissimam indicare voluerunt ramorum sparsione, & quasi dicere: O Domine arbor es

nunc florida , veniet ergò citò tempus , cum fructum proferas & tunc aliter tecum agetur. Arbor florida ęs, & ab omnibus laudaris, mox autem omnes contra te agent & ramos avellent. Hodie florida hæc arbor est, sed continuo folia dilabentur. Confer. *Osor. concio. in Dom. Palm. pag. m. 875.* Hæc omnia autem eò spectant, ut intelligamus, cur Dominus noster, non sine majore instinctu è Cælis à populo φυλλοβολίᾳ exceptus sit? Deus ora lactentium quasi aperuit, Filioque suo hanc gloriam tribui voluit, quod & Deus ipse, & Dei Minister, Præco, summus Sacerdos, Rex, Triumphator, Athleta nosterque Patronus & Advocatus adventaret. Ut Regi per viam

Arboreasque solo frondes & olentia serta
stravêre &c.

§. 4.

Cum θεοπνεύςῳ acclamatione votisque faustis hoc fecerunt, ea enim ipsa hac florum frondiumque sparsio significabat: *Feliciter, Feliciter*! quicquid calcaverit hic, rosa fiat! Nuspiam offendat, molliter incedat!

Ne teneros lædant spina rubusve pedes!
Crescat, florescat, perennet -- -- *fugiant te*
nubila cœli

Adven-

Adventumque tuum, suaves tibi Dædala tellus
Submittat flores! *Lucret.lib.1,princ.*
Hinc *Zemah* dicitur Messias, sub cujus pedibus crescere omnia & florere debeant. *Zachar.VI,12.* Lepidum illud nec omittere possumus *Lamprid.* de *Heliogabalo*, oppressit in tricliniis versatilibus, parasitos suos violis & floribus, sic ut animam aliqui efflaverint, cum eripi ad summum non possent. Ita flores spargit mundus, quibus suos parasitos suffocet. Sic *Cantharidum mors rosa.*
Vid. Camer. Emblem. --- *Nocet empta dolore voluptas*
Fortuna nimium quem fovet stultum facit.

CAPUT XI.

DE

Festo Tabernaculorum seu σκηνοπηγία.

§. 1.

HUc usque descripsimus varios *Phylloboliæ* ritus profanos; jam progredimur ad mores Judæorum in Festo Tabernaculo-

 rum

rum ufitatos, ubi primum *Tabernacula* ipfa confiderabimus, dein ad alia pedem movebimus. Apud Judæos igitur jejunii & afflictionis diem folennem mox excepit *Feftum Tabernaculorum* jucundum & hilare toti populo. Caufam hujus fefti & hilaritatis *Spencerus lib.* I. *c.* 6. & *lib.* 3. *c.* 8. *diff.* I. pro more fuo dabit, quod *conventu folenni omnes fefe Hierofolymam conferre tenerentur, quibus ab omni labore fervili feriatio, & ingens lætitia ac convivatio lege fuerit injuncta, eò quod Gentiles in honorem Deorum fefta peracturi in lucum aut urbem aliquot diebus magna frequentia convolare foliti, quibus citharis, tubis aliisque inftrumentis muficis omnia perfonuerint.* Hæc ipfi dictarunt *Lucianus, Plutarchus* & ejus farinæ homines, populi Judaici derifores, qui fub Romanis Imperatoribus vixerunt. Hi teftimonium perhibere debent rerum antiquiffimarum, quæ tempore *Mofis*, imò ante *Mofem* geftæ. Si vel ipfum *Herodotum* producat paffim, in eum quadrat illud *Ciceronis* de Oraculis loquentis: *Herodotum cur veraciorem dicam Ennio? num minus ille potuit de Crœfo, quàm de* Pyrrho *fingere Ennius.*

Ennius? Missis igitur fabulatoribus ex divinis Oraculis veram causam hujus festi indagare volupe est.

§. 2.

Inter solennitates majores statas & anniversarias divinitus mandatas ultima erat חג הסכת *Festum Tabernaculorum*, seu umbraculorum, quæ σκηνῶν ἑορτὴ *Levit. XXIII, 34.* ἑορτὴ τῆς σκηνοπηγίας, *Deut. XII, v. 16.* apud LXX. Interpp. ἡμέραι τῆς σκηνοπηγίας *2. Maccab. I, 9.* σκηνοπηγία & σκηνοποιία alibi appellatur. Quia Judæi solebant σκηνὰς seu καλύβας, tabernacula h. e. tumultuaria quædam οἰκίδια seu tuguriola ex frondibus & viridibus ramis arborũ omnis generis, præprimis *olivæ, myrti, citri. palmarum, cedrorum* &c. (ut annotat *Joseph. lib. 3. Antiquit. Judaic. cap. 10.*) ad breve tempus compingere sive exstruere, inque iis septiduum habitare. Anglus *Ainsvvorth fol. 144.* reddit: *Tabernacles made of boughes of greene trees,* vid. annotat. *ad Sigon. lib. de Republ. Ebr. lib. 3. c. 13. pag. 202. edit. Helmstad.*

§. 3.

Causam institutæ Solennitatis Moses exprimit, recordationem afflictissimæ & miserrimæ conditionis, quâ sine certis sedibus focisque exules quondam in deserto per integros XL annos egissent, & sub vagis Tabernaculis habitare coacti fuissent. Cum enim primum desererent Ægyptum, profecti sunt filii Israëlis *Rhameseso* urbe *Ægypti*. *Gen.* 47, *Succothas Exod.* 12. urbem vel pagum Ægypto vicinum, à tabernaculis ita appellatum, quorum istic materia fuit copiosa, quæ levissimo opere ex arborum frondibus structa & æque facile destruenda, viatoribus usitata. *Altera ratio* hæc erat, quod debuerint etiam meminisse Isrëlitæ, juxta Ebræos, admirandæ protectionis sub nube, velut sub umbra quadam vid. *Levit.* XXIII. *Tertia causa* erat, ut gratias DEO agerent pro frugibus toto anno collectis. Doctissimus Anglus Johann. *Lighfootus* aliliam his adjungit. populum scilicet cum à *Mose*, qui DEO propter fabricatum vitulum placato, decimo mensis *Tisri* à monte descendens lætum de peccato Numine & recuperato ejus favore nuncium apportat, intellexisset, figendum esse Tabernaculum,

propter

propter peccatum vituli fabricati aliquam diu impeditum, nec inde sc. à monte *Sinæ* abeundum esse, donec istud opus absolutum esset, castra ponere, & tentoriis adversus adventantem hiemem se munire incepisse, atq; opus lætum aggressum fuisse. Hanc *Lighfootus* istius solennitatis originem esse docet ejusque occasionem, quod DEUS inter populum suum habitare in Tabernaculo haut gravaretur, idque sexto exacto mense, postquam eum ex Ægypto eduxerat. Vide ejus *Harmon. Evange.: ad Luc. 3,21.* Potest quoque hæc ratio cogitari, sed non est prima ab ipso DEO expressa.

§. 4.

Cum itaque ex mandato DEI Judæis injunctum, ut tabernacula sibi exstruerent, *Levit.* XXIII. videbimus materiam, ex qua confecta tabernacula fuerint. Clar. *Buxtorffius in Synagoga Judaica cap. XVI. pag. 32. edit. Basil. 1641.* ita disserit: Tabernacula olim fiebant è ramis pulcrarum virentium arborum, quales sunt arbores omnes oleosæ; *olea, myrti*, arbores coniferæ & aliæ ejusmodi, quæ propter pinguedinis & olei copiam diu virent, hoc verbis istis innuitur *Levit.* XXIII,40. Sumetis vobis die primo

fructus arboris pulcherrimæ: ſpathulasque palmarum & ramos ligni denſarum frondium & ſalices de torrente. Hæc paulo magis perſpicuè & dilucidè indicantur in libro *Nehemiæ c. 8, 15.* Egredimini in montem & afferte frondes *olivæ* & frondes arboris *reſiniferæ*, frondes *myrti*, & ramos *palmarum* & frondes ligni nemoroſi ut fiant tabernacula. Hinc videre eſt, priſcis temporibus ex iſtiuſmodi ramis facta fuiſſe tabernacula, in quibus per octiduum manebant; præterea, eos pluribus ad id ſpeciebus fuiſſe uſos, quàm quatuor illis, quæ in *Levitico* recenſentur, adde quod hîc apud *Nehemiam Salicum torrentis* nulla mentio, quibus tantum utebantur ad ramorum tabernaculis exſtruendis compactionem & colligationem.

§. 5.

Calculum his addunt *Henry Ainsvvorth in Levit. c. 23, fol. m. 146.* & Joh. *Henric. Urſin. in arboret. bibl. pag.* 55. *cap.* 11. Prior in hæc prærumpit verba: *They* (Tabernacula) *vvere made of te branches of trees, as there appeareth. v.* 15. *And by the* Hebrevv *canons, the Boothes might not be covered vvith any cloth,*

cloth, or other thingh, vvhich had not grovvne out of the earth, or vvas not cut off from thense, or vvith any thing, that might receive uncleanesse, or that had an evill savour, or that vvas faded, or fallen-off alone, if they covered it vvith any of these, it vvas unlavvfull. Talmud Bab in *Succah. c.* 1. & Maimonid: in *Shophar. c.* 5. *sect.*1, 2. Alter autem ita: Quis credat, tantæ multitudini tot millium ad manum fuit tot *oliv*.-*rum, myrtorum* aliarumque electarum & speciosarum arborum frondes ad ejusmodi tabernacula? Fuisset hæc festivitas publica hortorum nemorumque circa Hierosolymam calamitas & pernicies. Negat itaque *Sanctius* ex tàm pulchris frondibus contexta, his & aliis motus. Sed quid textui historiæ fiet, ubi disertè jubentur Judæi egredi in montem & adferre istarum arborum frondes, ad faciendum tabernacula, sicut in lege scriptum? Respondeo: finis principalis ponitur, accessorius non tollitur, sed supponitur. Nam in lege utrumque scriptum est, & tabernacula frondea esse facienda, & gestandas in manibus pulchras arborum electarum frondes. Alia itaque genera adhibita structioni; vul-

vulgarium arborum, *salicis* & *pini* & quæcunque densis essent ramis : *Plutarchus Symposiac.* tabernacula è palmitibus & hederis contexta fuisse refert, & credo vidisse, ut ipse indicat: neque aliter fieri potuit, cum speciosæ arbores tot casis non essent suffecturæ.

CAPUT XII.

DE

Ramorum gestatione.

§. I.

VIsis tabernaculis ad ramorum gestationem progredimur & species arborum perlustramus, ex quibus fasciculi conficiebantur. Quatuor autem reperiuntur in Scriptura Levit. XXIII. *Sumetis nobis die primo fructus arboris pulcherrimæ, spathulasque palmarum, & ramos ligni densarum frondium & salices de torrente.* Videbimus singulas, quales fuerint. Prima igitur vocatur fructus arboris pulcherrimæ פרי עץ הדר. Quæritur hîc, quænam fuerint ligna? De הדר *Hadar* disputat prolixè in Levitic. *Bonfrerius Citrum* esse, & probat (i) quia *Chaldæus* Interpres habeat nomen

nomen אתרוג *ethrug* quod significat arborem citri. Calculum his addit *Gabriel Groddeck in dissert. doctiss. de ceremonia Palmar. edit. Lips. 1694. §. 10. pag. 21.* & sententiam stabilire laborat ex *Gemara in Massech. Succa cap. Lulaf Hagazul ad Mischn. 5.* his verbis: *Tradunt* Rabbini *nostri, per fructum arboris pulcherrimæ talem arborem intelligi*, cujus sapor fructui similis est, & hanc arborem dicas esse malum citri. ita etiam ex Rabbinis Anglus *Henry Ainsvvorth fol. 145. in Levit. c. XXIII. ex Maimon'd. in Shophar & Succah. cap. 7. sect. 2.* refert: *the fruit of the goodly tree spoken of in the lavv, is the Pome-citron.* (2) Quia *Josephus* testetur in ramis illis gestata quoque fuisse *mala Persica. 3. Antiquit. c. 10.* & *Citria* eodem *Josepho* teste *12. Antiquit. c. 21.* (3) quia hæc Citrus, malus medica scil. aut Persica arbor pulcherrima sit. Cujus sententiam modeste & argute explicat vir clar. *Gabriel Groddeck* in citata eruditissima dissertatione *pag. 19. §. 6.* cujus verba huc adscribere non pigebit. *Quod autem Josephus*, inquit, *hic pro citri malo* quem in usu hodiè Judæi habent, *malum persea* substituunt, sciendum, plerosque Veterum hæc inter-

 se ita

ſe ita confudiſſe, ut malum Perſicum ſeu Medicum pro citro & contra uſurparent, uti in altero adducto loco. Unde etiam *Plinius lib. 15. Natur. Hiſtor. cap. 14. Citrea.* à Græcis *medica*, i. e. *Perſica* dici obſervat. Et *Dioſcorid. lib. 1. c. 131.* Medica mala perſicave aut cedromela vocari ait *citrea* à Latinis; quod etiam ex *Athenæo* conſtat. *Medicum* autem malum pro *Perſico* accipi ex *Theophraſti lib.* 4. colligitur, & cum *citro* apprime convenire. conf. cl. *Salmaſ. Comment. in Solin fol. 949. 959. ſeq. & 954. edit. Pariſ.*

§. 2.

Hæc utut ſpecioſè dicta, probabilior tamen apparet, quæ & communior ſententia: eſſe hæc vocabula עץ הדר & עץ שמן non *propria*, ſed *appellativa*; non certæ *ſpeciei*, ſed *generis* cujuſdam. Probatur (1) ad Perſonam: *Vulgatus* enim Interpres clarè indicat, ſe de genere non de ſingulari ſpecie ſenſiſſe, nec arborem הדר *Hadâr* pulchritudinis, ab arbore *Schemen* pinguedinis diſtinxiſſe. (2) Ad rem; ut Sacra Scriptura ratione ſitus alias arbores vocat *ligna agri, ſilvæ, aquæ*; ſic pro differentia *effectorum & adjunctorum*, alias *ligna cibi Levit. 19, 23.*

Deut.

Deut. XX, 20. alias *ligna fructus. Eccles. 2,5.* alias *ligna frondis*, ut his ipsis locis *Levit. 23,40. Nehem. VIII. 15.* eadem ratione quasdam pulchras dixit & pingues. (3) Itaque arbores densarum frondium his locis non certam speciem significant; sed genus quoddam multis speciebus commune: sic & illæ quæ decoræ ac pingues dicuntur. Idque (4) rationi congruit. Nam neque debuit Deus certas species frondium præscribere neque potuit. Non debuit; suffecerat denotatio generis & addita denominatio quarundam specierum, ut *palmæ* solius Judææ propriæ & *Salicum* torrentis, quas vel mysterii causa, vel singularis usus, vel quod neutro genere arborum, à pulchritudine & pinguedine dictarum continerentur oportuerat exprimi. Nec *potuit*; nam si species aliqua defecisset, imposita fuisset necessitas Scenopegia celebraturis, vel omittendi gestationem horum ramusculorum, vel prævaricandi contra legis præscriptum. Cogita, si omnibus *Citriæ* frondes fructibus suis onustæ, aut *oleaginæ* aut *myrteæ* gestandæ fuissent, quanta circa Hierosolymam hortorum quotannis fuisset calamitas? quanta frondium talium

rari-

raritas & caritas? (4) Neque sequitur; *Nehem.* 8· certæ memorantur species, in lege non expressæ, quæ de olea, arbore Schemen, myrto, nihil habet; nec de Persea nec de Citro quicquam: Ergò hæ species præscriptæ fuêre in lege, nec aliæ generali nomine permissæ. Nam quis non videt contrarium sequi? In lege quatuor omninò vocabula sunt arborum, (1) *arbor Hadar*, (2) *palma*, (3) *arbor Aboth*, & (4) Arabim *salices* forte ad ligamenta necessariæ, apud *Nehemiam* sunt quinque vocabula: *Olea, lignum Schemen, myrtus, palma & arbor Aboth.* His addit *Josephus Perseam*, Chaldæus forte *Citrum*. LXX. *Cupressum* aliiq; Interpretes ut & *Hieronymus Cedrum, pinum balsamumque* adhuc alii.

§. 3.

Quare concludamus (5) & frondes gestasse Israëlitas in ea festivitate, & scenas struxisse ex quocunque genere arborum; quas in deserto non habebant, Dei munere in terra promissa invenerant; ut undecunq; glorificandi Deum acciperent occasionem: is enim hujus festi finis fuit. Duas tamen species expressas à Legislatore fuisse, ex quibus thyrsos facerent gestandos *palmam &*

sali-

salicem: qua in re miranda DEI bonitas, ne noceret arboribus fructiferis, aut sterilitatem adferret: harum enim duarum hoc est ingenium, ut tonsura gaudeant & copia luxurient. Symbolum enim fuit Ecclesiæ Judaicæ. Quam Deus monere volebat, ornandam esse fructibus omnigenis, ac colligandam q. vitilibus fidei & mutuæ concordiæ, ut *Ephes. 4, v. 2. 3.* Ad Objectiones respondes cum *Ursino in arboret. Bibl. cap. 44 pag. 579.* (1) *Ethrug* esse *pomum Citrium*, concedo: corrupte legitur in versione Averrois de simpl. *Eltrog, Atrung* Citrus est arbor & fructus: inde *toronga*, *Melissophyllon* Melissen/ *citrago* dicta, quod odorem mali citrii redoleat. Sed hoc nomen recentius esse apparet, nec Judæis eo tempore poma nota. Ponamus Judææ olim domesticam fuisse, sed quomodo sequitur; ergo sola *Citrus* est Hadar? Has & alias responsiones ad objectiones exhibet citatus *Ursinus c. l.* qui evolvatur.

§. 4.

Alteram speciem vocat Scriptura *Spathulas palmarum*. de qua re *Johann. Henric. Ursin. in Arboret. Bibl. cap. 41. pag. m 524. seq.* Hebr. *Cappoth* כפות dicuntur, quas

Anglus Henry *Ainsvvorth fol. m. 145. in Levit.* ita describit: *Cappoth* so named of being bovved or crooked: the *Chaldee* and *Jerusalemy Targum* called *Lulabin* as grovving out the heart of trees, and the Hebrevves desaibe them *to be shoots (or stiffe branches) of the palme (or date) tree, vvhen they are budded, before the leaves be spred abroad, vvhiles it is yet like a rod (or scepter) and that is called Lulaf Maimonid. in Shophar c. 7. sect. 1.* Verum an *Lulaf* palmarum frondes tantum significet, dein videbimus. Tertia succedit: *species sumetis ramos ligni densarum frondium.* Angl. reddidit: *branches* of thicke trees *frondes densarum arborum*, quas *Chaldæus Hadasin* vocat, *frondes myrti.* Ita inter festas frondes, quas in *Scenopegiis* gestare mos fuit. *Nehem.* 8, *16.* hæ referuntur, ubi LXX. φύλλα μυρσίνης. Hanc opinionem ex *Gemara ad Mischn. 3. fol. 32. 2.* confirmat *Gabriel Groddeck in dissert. supra citata pag. m. 25.* his verbis: *Tradiderunt Rabbini nostri, quod quando in Scriptura dicitur:* Ramos arboris densæ scil. accipietis, *ejusmodi densa arbor* intelligatur, cujus folia arborem suam obtegunt. Quænam verò est ista

arbor?

arbor? Resp. myrtus. Sed fortassis olea esse potest? neutiquam, nos enim requirimus ut densa sit, qualis olea non est. Ergò fortè erit arbor castanea? at verò nos talem arborem requirimus, cujus folia obtegunt arborem suam, quod non fit in arbore castanea &c. Conferri potest *Buxtorff. Lexic. Talm. fol. 632.* Henry *Ainsvvorth. fol. m. 145. edit. Londin. ex Maimonid. in Shophar c. 7. ʃ. 2.* ita disserit: *The branch of the thicke tree, spoken in the* Lavv, *is the Myrtle (branch vvhose leaves cover the vvood therof, as vvhen there are three leaves or moe upon one place of the stalke: but if there be tvvo leaves together, and a third leafe above them, it is not thicke, but is called* Hadas *shoteth.* i. e. *frondes arboris densæ; de quibus lege dictum, sunt myrti frondes, cujus folia obtegunt arborem ut cum tria vel plura folia in uno loco unius caulis reperiuntur: Verum si hic duo folia simul & tertium super illa, non est densa arbor sed vocatur Hadas fatua.* Ut igitur conciliemus hunc locum cum *Nehemiæ* loco: R. *Sal. Jarchi* in annotationibus verba proferemus ita scribentis: H*adas* cujus mentio fit *c.* 8 *Nehem. est myrtus fatua, quæ illegitima est ad* Lulaf, *sed ad tabernacula aptissima: & arbor densa, quæ* Hadas *seu Myrtus, est aptissima ad* Lulaf. §. 5.

§. 5.

Ad quartam nos conferimus speciem *salices torrentis*, de quibus fuse egit *Joh. Henric. Ursin. in Arboret. biblic. cap.* XII. *â pag. 192. usque 197. seq.* quem benevolus Lector evolvere haut gravetur. Nos itaq; his missis fasciculum ipsum consideramus, qui ex sequentibus quatuor compactus erat, vocabaturque לולב *Lulaf.* quô tamen *Targumistæ* solùm *palmæ frondem* intelligunt; *Talmudistæ* autem & *Minhagici* Scriptores nō tantum partiatim palmæ frondem, verum tres reliquas species; adeo tùm demum, quando omnes IV. species, nempè *palmæ frons, myrti rami, salices* atque *citri malum* adsunt לולב vocent, & sic omnes quatuor species conjunctim sumptæ מצות לולב seu unum præceptum *Lulaf* constituant, id quod præter alios R. *Maimonid. part. 1. Mishn. Thora Hilch Lulaf c.* VII. *fol, 262.* nos docet, cujus verba Anglicè tradidit Henry *Ainsvvorth fol. m. 145. edit. Londin.* hoc modo: *These foure kindes are one commandement, and are called the commandement of the Palmebranch* (Lulaf.) *And they may not have fevver or moe then these. And if they cannot finde any*

any one of them, they may not bring for it of another kinde, like thereunto. They binde the Palme-branch, and Myrtle, and vvillovv branch, and make of them three one bundle. And vvhen a mann takes them up to goe forth vvith them, he blesseth God first, of the taking up of the Palme-*branch.* This *bundle he carrieth in his right hand, and the* Pome-*citron in his left; and carrieth them as they grovv, vvith their rootes dovvnevvard to the earth, and their tops upvvard into the ayre. If he vvanted any one of these branches, he carried them not till he had all.* The *Palma-branch might not be lesser then foure hand-bredths long: the myrtle and the vvillovv branch, not lesse then three: though they vvere longer, it vvas allovvable.* The *Pome-citron might not be lesser in bignesse then an egge; greater it might be as much as they vvould. As they carried, they vvaved (or moved) the branches three times tovvards every vvinde (or quater of the vvorld) They carried them at the time of reading the hundred and eightent Psalme.* They *might cary them any time of the day, but not by night.* The *com-*

man-

mandement to cary these branches is but for the first day of the feast onely, as it is said (in Levit. XXIII, 40.) *And ye shull take unto you in the Sanctuarie onely, they carried them every of the seven daies of the feast, upon this ground, ye shull rejoyce be fore the Lord your God seven daies.* Levit. XXIII, 40. *Whosoever is bound to (the Lavv of) the* Trompet, *and the* Boothes, *is bound to cary the Palme-branch: other are free. The childe that knovveth hovv to vvave it, is bound, by the doctrine of the Scribes, to cary the branch, that he may be trayned up in the commandements Every day they vvent about the Altar once vvith the* Palme-*branches in their hands and said:* O LORD SAVE NOW (or HOSANNA) *and in the seventh day, they vvent about the Altar seven times.* i. e. *Quatuor ista species unum præceptum constituunt, & omnes uno nomine vocantur præceptum Lulaf. seu Palmarum frondium. Nec licebat plures vel pauciores his habere. Et si has reperire non poterant, similes his afferre non permittebatur, Ramos, palmarum & myrti & salicum colli-*

colligabant, & ex tribus unum fasciculum conficiunt. Et quando quis accipit illos, primo Deo benedicit pro sublatione ramorum palmarum, Hunc fasciculum dextra tenebat manu, & sinistra pomum citri & gestat uti crescant radicibus versus terram & apicibus versus cœlum. Si uno horum ramorum carebat, non cupiebat, donec omnes accepisset. Ramus palmarum quatuor palmarum spacium longitudine non excedebat; Myrti verò & salicum tres palmas longæ erant, licet longiores sint, non illegitimum esset. Pomum citri mole minus ovo esse non licebat; majus ut ut sit, permissum. Accipientes ramos concutiebant ter versus omnes plagas cœli. Agitabant illos ad lectionem Psalmi centesimi decimi octavi. Tempore diurno non nocturno capere licebat. Primo tantum festi die gestabant h nc fasciculum, uti dictum Levit. XXIII, 40. *Et sumetis vobis die primo. Semel singulis diebus atrium ingrediebantur, fasciculos manibus tenentes & sex continuabant dies ex hoc Fundamento:*

Septem

Septem dies lætamini coram Domino vestro. Levit. XXIII, 40. *Quilibet obligatus est gestare palmarum ramos. Infans, qui novit, quomodo fasciculi movendi & concutiendi obligatus est doctrinâ Scribarum gerere fasciculum, ut educetur & instruatur in præceptis. Singulis diebus fasciculos manibus tenentes altare semel circumibant dicentes:* O DOMINE SALVA NUNC (aut HOSANNA) *Septimo autem die septies circumibant.* Conf. *Johan.* Henric. *Othon. Lexic. Rabbino-Philolog. pag. m. 198.* edit. Genev. Joh. *Lighfoot.* Hor. *Talmud. pag. 410. edit. Lipsc.l.*Bux*torff. Synag.* Judaic. *cap. 16.* Joh. *doctiss. Meyer. diatrib. de Fest. pag. m. 350. edit. Amstel.* 1693.

§. 6.

Verum si vel una harum specierum deficiebat, jam non amplius לולב *Lulaf* dici neque debitum suum tunc aliquis exsolvere poterat, uti pluribus ostendit *clar. Gabriel Groddec in dissertat. de cæremon. palmar. edit. Lips.* 1694. *pag. 6. 7.* ex Hilc*hoth Gedeloth. c. 15. fol. 34.* his verbis: *Antequam hæ quatuor species conjunctim adsint, non prius aliquis debitum suum exsolvere potest,*

poteſt, cum Traditionem *habeamus, quod IV. ſpecies in* LULAF *impediant una alteram i. e.* ſi una deſit, nec altera valorem accipiat. *Et dixit* R. *Chanin filius* R*abba, illud non aliter intelligimus, quam ſi quis non habeat quatuor has ſpecies, quod ſi autem haberet omnes non impediret altera alteram, etiamſi non omnes ſimul ſumeret.* Dice *ſi non haberet omnes, altera alteram impediret, quia omnes ex uno præcepto conſtant, ſcriptum enim eſt* Levit. XXIII, 40. Et ſumetis ſcil. *ſumptione plena & integra, nam ſingulæ ſpecies ex iis ſumptione opus* habent. *Contra etiam dixi, ſi non haberet omnes, non impedirent ſe invicem, fortè dicas, quod ſi non omnes ſumeret, & ſimul in altum tolleret, non abſolviſſet debitum ſuum? Neutiquam, verum ſi modo ſingulas ſeparatim ſumat atque in altum ferat, ſufficit; Statutum enim, habemus,* LULAF *non opus habere colligatione*

§. 7.

Hîc aliquis regerat & dicat: Si omnes quatuor ſpecies neceſſario ad LULAF requiruntur, cur Judæi, quando benedictionem

onem super hunc actum faciunt, non omnes quatuor species, sed unam tantum nominare solent nempe ad *palmam*? Nam teste *Maimonide in Shophar cap. 7.* Rami palmarum, de quibus Lex, sunt virgulta palmarum crescentia, antequam folia hinc illinc dividantur; at, cum sunt sicut bacilluli, atque hi vocantur לולב. Confer *Johann Lightfoot hor. Talmud. pag. m. 407. edit. Lips.* Rationem hujus rei reddit autor libri *Colbo c. 72. fol. 81.* quando literis tradit: Et benedictionem dicunt super Palmæ frondem, non autem super reliquas etiam species, ideò quod hæc sit major reliquis omnibus i. e. quod hæc sit principalis species, reliquæ saltem ei adjungantur: Ideò benedictionem dicit super principale & cum ea liberat accessorium. Alii autem dicunt, quod quia palmæ frons pretiosissima est præ omnibus aliis speciebus, ideò integer fasciculus ejus respectu LULAF dicitur, idemque est, ac si aliquis expresse super singulas species peculiarem benedictionem faceret sub ejus nomine. Aliam rationem adducit sæpe laudatus *Gabriel Groddeck.* ex R. *Itzchack ben Arama in Akedath Itzchack fol. 189. 4.* qua huc adscribenda. Quod ad

ad benedictionem attinet, ea hoc inprimis modo ordinata est: qui sanctificasti nos in præceptis tuis, & justissimos sumere LULAF, quia præceptum quod incumbit homini in eo tantum consistit, ut inquirat homo & scrutetur, usque dum pertingat cum speculationibus suis ad palmæ frondem (i. e. Angelos, ad quos palmæ frons alludit) &c. Has itaque frondes gestabant magno cum gaudio tripudiantes, & canentes. uti fuse hanc rem Buxtorff. *in Synagog. Judaic. Henry Ainsvvoth. comment. in h. loc.* celeber. Joh. *Meyer in diatrib. de Fest.* 351, 352. tractarunt.

CAPUT XIII.

DE

Ramorum horum mystica significatione.

§. I.

HActenus perlustravimus ramos quos Judæi in Scenopegia gestarunt & eorum species in medium produximus. Cur autem hæ frondes ad fasciculum requisitæ fuerint, non sine ratione factum arbitramur, quare harum mysticam signifi-

ſignificationē rudi quaſi *Minerva* depingemus, ut ex his eò faciliùs colligere poſſimus, cur Chriſto Domino Triumphatori noſtro *Palmæ* prælatæ fuerint? Hinc cl. *Buxtorffius in Synagoga Judaica cap.* XVI. *pag. m.* 332. *edit.* *Baſil.* 1641. motus, harum myſticam ſignificationem adduxit ſequentibus: Magna in quatuor iſtis ſpeciebus arcana latent. *Palmæ ramus* falſos *Judæos* denotat; quemadmodum enim Palma pulchra quidem eſt & decora, ſed fructum profert inſipidum & inolentem: ſic eadem eſt illorum ratio, qui legem quidem habent, ſed nullos bonos fructus & opera proferunt. *Mala citrea* juſtos & pios deſignant: Non ſecus enim ac genus hoc malorum pulchrum eſt & ſpecioſum, ſed optimi ſimul & ſuaviſſimi odoris: ſic quoque ſunt pii, qui legem habent, & unà bonos fructus proferunt, dum præcepta obſervant. *Myrti* ſvave quidem olent, ſed ſunt in fructiferæ: ſic ſunt quidam, qui quamvis careant lege, bona tamen opera præſtant. Rami *ſalicum* Impios denotant, qui & lege & bonis operibus deſtituuntur inſtar ſalicum, quæ nec odorem ullum gratum exſpirant, nec ullum bonum fructum proferunt.

§. 2. Ve-

§. 2.

Verum alias myſticas rationes proferemus, quæ ritui huic conveniunt, & ad Triumphatorem noſtrum Chriſtum trahi poſſunt. Notum enim eſt, & è tractatulo noſtro *de Triumphis* ſatis conſtat, quod Triumphatores manu palmam tenentes introducti fuerint Triumphum ſolennem celebrantes ſimulac omnes viæ floribus & unguentis ſparſæ. Quid aliud hoc ſignificabat, quam ut de hoſtibus triumphum acturus ſit vel egerit Victor, & palma ſignum ſit victoriæ teſte *Pauſan. in Arcadicis.* Quâ ornare voluit populus Chriſtum certamen ineuntem, *Hoſanna* acclamans, quod ſignificat: Salvum fac filium David, proſpere ei in bello ſuccedant omnia: Concede ei victoriam inimicorum, ut cum illo ſalvi ſimus omnes ab omni tyrannide, Videns igitur turba, ſe accepiſſe Triumphatorem, ei fauſta acclamans, dicit: *Concede ei victoriam*, quia hodie venit in certaminis locum, ut prælium committat cum *Dæmone* ac *Morte*, conf. plur. *Oſor. in Domin. Palm. pag. m. 876. edit. Colon. 1600.* Illud enim ſemper celebratiſſimum fuit, quod *Palma* victoriæ ſignum; Unde olim ut annotant

Iſidor. lib. 17. Etymol. & *Lyra in cap. XV. Deut.* Victores in præliis, ramis palmæ in capite & manibus ornabantur, quare *Apocal. VII. Johannes* ait, ſe vidiſſe Martyres victoriam de Tyrannis reportantes manibus palmas geſtare; imò habenti juſtam cauſam dabatur palma in manu, quaſi victoriam jam habuiſſet in ea. Ita *Plinius lib. 16. natur. hiſtor. cap. 25.* non ſolùm ait, palmas triumphi & victoriæ ſymbolum fuiſſe, ſed & præſagium. In cujus probationem refert, palmam natam in baſi Cæſaris Dictatoris ante bella civilia, futuræ ejus victoriæ & trophæi prognoſticum extitiſſe. Nonne Judæi idem augurantur? ſpargunt ramos palmarum & manibus geſtant, ut ſint quaſi prognoſticum victoriæ certiſſimæ Chriſti in hoſtes infenſiſſimos confer pluribus. *Johann. de Cartagena Hiſpan. celeber. homil. VIII. pag. m. 413. Urſin. arboret. Bibl. cap. 41. pag. 54. ſeq.*

§. 3.

Refert R. *Abarbenel ad Lev. XXIII. fol. 266.* Lulaf eſſe propter præſens beneficium id quod optimè ad Eccleſiam DEI applicari poteſt. Eccleſiam Judaicam ſi adſpicimus in *Babylone*, tunc non malè

San-

Sanctius disserit: Cum in captivitatem irent Judæi, similes fuisse salicibus amaris, sed per pœnitentiam evasisse similes myrtis. Inter tot improbos supererant piæ reliquiæ. vid. *Henry Ainsvvorth Commentar. in Levit. XXIII. fol. m. 145.* Quod Ecclesia cum Myrteto comparari possit fuse ostendit *Johan. Henric. Ursin. in arbereto Biblico cap. XXXVII. pag. m. 480. seq.* ad quem benevolum Lectorem mittimis. Quod autem *salices* & in tabernaculo & fasciculo illo quem gestabant manu Judæi adhibitæ fuerint, per id significatum fuit, quod Sancti & fideles cum hac arbore comparari possint, quod probat locus hic, ubi tabernacula ex salicibus facta, quia ex conventu Sanctorum cœlestis Tabernaculi perfecta futura est lætitia. Nam ut Salices arefactæ aquis virescunt, & resectæ in humido radicibus sese ipsæ demergunt; quomodo aliàs nempe arbores curâ, per demersionem talearum aut ramorum instar arcus curvatorum, propagantur; Sic electi DEI naturâ mortui, peccatis aridi, à prioris vitæ radice in Adamo decisi,

eloquio Dei & Sacramenti Baptiſmi vitalibus aquis reviviſcunt. Quare in ſcenopegiis cum geſtarent Iſraelitæ ſalicum frondes cantabant & lætabantur coram Domino. vid. plur. Hieron. *Laureat: Sylv. Allegor. de Salice.* Confer. *Urſin. arboret. Bibl. cap. XII. pag. m. 200.* ubi plura. *Malum citri* ſeu Perſea quod concernit, illius arbor Iſidi conſecrata fuit, hac ducti non abſurda ratione, quod fructus ejus cordi ſimilis ſit, folia linguæ: ut admonerentur Templum adituri, ſanctè de Deo ſentire & modeſtè loqui debeant. Plura colligere poſſemus ni hoc feciſſent citati authores, quibus adjungendus eſt *Picinelli Mundus Symbol.* Confer *celeb. Joh. Meyer diatrib. de feſt. pag. m. 356. 357.*

CAPUT XIV.

DE

Convenientia feſti Tabernac. cum Feſto Bacchi. Ὀσχοφορία, & Θαλλοφορία Gentilium.

§. I.

RItum ramos geſtandi Gentiles à Judæis acceperunt, qui Feſto Tabernaculorum hanc cæremoniam uſurparunt. Pari modo Genti-

Gentiles in festo *Bacchi*. Hinc *Plutarchus* *Sympos.* 4. *probl.* 5. in quo disputat de Judæorum abstinentia à carne suilla, festivitatis hujus Tabernaculorum, luculentam mentionem facit, illamque τριετηρικῇ παντελείᾳ hoc est, festo illo triennali, quod in honorem *Bacchi* olim agitabatur, comparans, inde probare conatur, Judæos *Bacchi* sacris initiatos ejusque cultores esse. Operæ pretium itaque erit, illam *Plutarchi* descriptionem hujusce festi cum ea, quæ in sacris literis continetur, conferre. Primo itaque festivitatem illam μεγίστην & τελειοτάτην, maximam & perfectissimam vocat & quidem meritò. Nam festum illud Judæorum maxime festivum lætissimumque fuit, quod collectis compositisque omnibus terræ frugibus ac fructibus summa cum lætitia & gaudio celebratum fuerit. Quod maximum vocat, illud congruit cum eo, quod *Johannis VII.* dies octavus & ultimus festi, qui XXII. mensis dies magnus appelletur; qui etiam vocatur dies *Azereth* i. e, retentionis, cujus nominis ratio hîc inquirenda.

§. 2.

Vox Hebræa *Indictum*, *coërcitionem*, *detentionem*, *convocationem*, *conventum*,

 imperium

imperium ſonat. Chaldæus interpres voce כנישרן utitur, quæ notat *cœtum congregatũ vel cõgregationẽ.* LXX. vertunt ἐξόδιον *exitũ* ſc. Feſti, *Raſchi & Ramban* dicũt, *perinde eſſe, ac ſi quis ſeptem dies cum amico fuiſſet convivatus, & octavo die adhuc majoris amicitiæ ergo detineretur.* Quod illi habent ex *Siphre.* Eadem ferè habet Anglus *Henry Ainsvvorth in Levit. cap. XXIII, v. 36. fol. m. 144. edit. Londin.* ubi hæc leguntur verba: *The Chaldee translateth it, ye ſhall be aſſembled together: and ſo the vvord is in other caſes uſed for an aſſemblie.* Item *Raſchi Num. 29. 35.* & Auctor *Michlal Jophi* vocunt עצרת dici, quod eo die interdictum ſit opus ſervile, quibus adſtipulatus citatus *Ainsvvorth* c. l. עצרת *vvhich hath the ſignification of reſtraining or retaining. becauſe this day the people vvere reſtraining from vvorke: and retaineth together in a publike aſſemblie;* vel quod eo die, finito feſto tabernaculorum clauſum ſit jugum feſtorum. Alii *collectionem & collectam* ſignificare volunt, quod eo die populus retineretur propter collectam pecuniæ pro oblationibus, de quibus *Num.* XXIX. vel ob collectionem

frugum,

frugum, quod *22.Tisri* primitiæ fructuum serotinorum adductæ & DEO pro iis gratię actæ. Observandum quoque venit, quod hæc vox עצרת in Scriptura *Paschatis* septimo & *Tabernaculorum* octavo diei dundaxat tribuatur & Festum Pentecostes eodem nomine vocetur, quibus *Henry Ainsvvorth* calculum addit, ita disserens: *The last day of the Passeover is called also by this name Deut. XVI,8. And the Hebrevv* Doctors *apply the name absolutely to the feast of Pentecost, often in their vvritings, vvhereupon Josephus saith. cap. 10. at* Pentecost,*vvhich the Hebrevves call ASARTA, and that signifieth Pentecost.* Sed errant, qui putant octavum diem dedicationis Templi primi עצרת quoque nuncupatum *2. Paral. 7,8,9.* diversum esse ab hoc octavo die festi Scenopegiæ, quum idem festum tunc celebraretur. vid. *celeber.* Joh. *Meyer diatrib. de festo pag. m. 354. edit. Amstel.*

§. 3.

Rabbi *Isaac Abarbenel* insuper differentiam explicuit diei עצרת *Atzeret* septimi Paschatis & octavi tabernaculorum *comment. ad Levit. XXIII, fol. 261 4, 262. 1. Moses*, inquit, *non utitur* (Levit. XXIII.)

 ter-

termino Atzereth, *qui derivatur ex phraseologia* Gen. XX, 18. *planè occluserat Dominus &c.* & Judic. XIII, 8. *Si detineres me, non comederem de cibo tuo. Cum autem die septimo festi tabernaculorum detentus est unusquisque Hierosolymis ad festum celebrandum cum gaudio, vocabatur* Atzereth *detentio, quo nomine non venit septimus Paschatis, quoniam eo die non detinebantur Hierosolymis omnibus septem diebus Festi Azymorum, sicut fiebat septem diebus Tabernaculorum.* Sed Deut. 16. *vocavit diem septimum Paschatis* Atzereth *detentionem seu interdictum* Domino *Deo tuo.* v. 8. *quo significatur, die septimo quoque à fermento abstinendum & azymos panes comedendos. Cum hoc ipso coërceretur populus, non quidem ut maneret* Hiero*solymis, sed ut observaret festum azymorum quoque die septimo, ideò illic ait* Atzereth *interdictum seu detentio est Domino* **DEO** *tuo.* Hoc *autem loco Levitici, de eo non loquitur, nisi quia detinebatur Hierosolymis, ideoque hoc respectu utitur voce* Atzereth *in festo tabernaculorum, in festo Azymorum non item.* Porrò עצרת *imperium* significare probat *Abarbenel fol. 263. ex 1. Samuel. 9, 17.* §. 4.

§. 4.

Porrò *Plutarchus* diem hujus festi priorem σκηνὴν i.e. Tabernaculum dicit fuisse appellatum, in quo propius ad veram hujus festi appellationem accedit. Dictum enim est *Hag Harsuchoth*, h. e. festum tabernaculorum. Ita etiam ratio seu forma illius festi, quam *Plutarchus* proponit cum sacris literis benè admodum congruit. Nam ἀκμάζοντι τρυγητῷ i. e. fervente vindemia (die nimirum XV. mensis septimi, qui ob vindemiam *Thisri* à *Tirosch*, hoc est, musto fuit appellatus) τραπέζας προτίθενται παντοδαπῆς ὀπώρας hoc est mensas proponunt plenas omnis generis frugum. Sic enim in Sacro codice legimus, Judæos per 7. dies unà fuisse epulatos. Et sub σκηναῖς i. e. tabernaculis degunt ἐκ κλημάτων μάλιστα, καὶ κιττοῦ διαπεπλεγμέναις h. e. ex palmitibus potissimum & hedera contextis. Ex Levitici cap. XXIII. vidimus materiam ex qua fasciculi facti, quos manè VII. illis diebus gestarunt, nec cibum cuiquam sumere fuisse licitum, nisi prius fasciculum portasset. Hoc congruit cum eo. quod *Plutarchus* dicit fuisse apud Judæos festivitatem quandã, κρατηφορίαν & θυρσοφορίαν in qua nimirum θύρσους gestantes templũ ingrediebantur. Ab

hac igitur fasciculorum gestatione festum illud κραασφορίαν, & θυρσοφορίαν vocat. In priore membro videtur esse mendum, & pro κρατηφορίαν legendum κραδηφορία ἀπὸ τῆς κράδης. Est autem κράδα sive κράδη Medicis, *ramus ficulnus* sive folliculus caprificorum, vel etiam *Nicandro* ficus & summum ficorum germen, quod plantari consuevit. Ergo *Plutarchus* hanc quoque fasciculorum, qui ex ramis arborum fuerunt contexti, gestationem exprimit, cum scribit: homines illo (*Bacchi*) festo manibus tenentes *thyrsos* seu fasciculos frondium templum intrare fuisse solitos, &, (uti verisimile) *Baccho* sacra fecisse.

§. 5.

Josephus lib. 3. Antiquit. c. 10. fasciculum hunc ramorum vocat εἰρεσιώνην. *Hesychius* εἰρεσιώνη est κλάδος ἐλαίας. Εἰρεσιώνη ajunt esse ἐν μεγέθη κλάδον ἐξ ἐρίων ἔχοντα στέμματα, κλῶνας, καὶ ἰσχάδας, καὶ τῶν καθαρτῶν ἀκροδρύων ὁρμαθὺς *per magnum ramum è lana habentem stemmata, surculos, caricas, & purorum fructuum* series, ἢ, inquit autor Etymologici, θάλλος ἐστὶν ἐλαίας πάντας τὺς καρπὺς ἔχον ἀπηρτημένυς, καὶ στέμμα λευκὸν καὶ φοινικῦν *aut truncus est olea omnes fructus habens suspensos, & stemma album & purpureum*. Paulo aliter *Plutarchus in Thes.* descri-

describit εἰρεσιώνην his verbis: *Eiresionem efferunt ramum oleæ lana quidē redimitum, quemadmodum tunc caduceum, omnigenis repletum primitiis.* Addit causam *Plutarch.* διὰ τὸ λῆξαι ἀφορίαν, quod sterilitas cessasset. Res ita se habet. E quodam prisco oraculo manavit mos pro foribꝰ ponendi hunc ramum cui nomen *Eiresione*. Forte enim & fame, & quod *à Plutarcho* tacitum est, peste universam terram conflictante consultantibꝰ, quo pacto malum averruncari posset, respondit *Apollo*, si sacrificium ante sulcamina terræ fieri suetum pro omnibus Atheniensibus fieret. Quâ re peractâ, lues cessavit. Ea re finitimi omnes gratulationis causa omnium fructuum primitias miserunt Atheniensibus. Etsi non sum nescius alios hujus originem referre ad *Theseum*, ut paulo post dicemus. Aut *eiresionem*, aut ἱκετηρίαν, aut his quippiam simile fuit τέννος, quam interpretantur coronam oleagineam lana intextam.

§, 6. Porrò *Eiresione* ponebatur pro *foribus* avertendis iis, quæ iminerent periculis. Ideò apud *Aristophan.* ππ. populus conspicatus duos cives factiosos & promptos, qui ipsius fores pulsaverant, indignabundus respondet: *qui hi clamantes?* nō abitis ab janua? *Eiresionē* meam fregistis. Ac si dicat, mihi propter vos

est annonæ abundantia, sed potius sterilitas. Nec omittamus, super *Eiresione* hos versus cani solitos ab *Athenienfibus*, uti refert *Clem. Alexandr. l. 4. Strom.*

Εἰρεσιώνη σῦκα φέρειν καὶ πίονας ἄρτους
Καὶ μέλι ἐν κοτύλῃ, καὶ ἔλαιον ἀναψήσασθαι,
Καὶ κύλικ' εὔζωρον, ὡς ἂν μεθύουσα καθεύδῃ.

Eiresione fert ficus & pingues panes, & mel in catino & oleum ad detergendum, & calicem purum, ut inebriata dormiat. Eo quoq; ramo supplicabant *Apollini* illo ipso die, quo *Theseus* unà cum sociis periculo exemptus creditur. Ibi verò & bellaria & calicem vini effundentis canebant prædictos versus. Hanc lanam vocabant στέμμα τὸ προσειλημμένον ἔριον τῷ θαλλῷ coronam obvolutam lanam *ramo oleæ*, vid. plur. *Carol. Paschal. lib. 5. de coron. pag. m. 333.* Gerebant autem *Athenienses* mense *Pyanepsione*, quasi hoc signo testarentur, se DEI beneficia prædicare, quod *oleum, lanam & victui necessaria, fruges & fructus* præbuerit, ut *Ose. c. 2, v. 5, 8.* Conf. *Ursin. Arboret. bibl. c. 2. pag. m. 45.*

§, 7.

Autor *libri secundi Maccabæorum c. 10.* θύρσους vocot. *Hesychius* ait: *thyrsum* dici βακτηρίαν βακχικὴν *baculum Bacchicum,*

cui

cui *Natal. Comes Mytholog. lib. 5. p. m. 480. edit.* Genev. 1653. calculum adjicit, & ex *Euripid, in* Bacch. ſententiam probat his verbis: *Conſuevit* (Bacchus) & *pro ſceptro* thyrſum geſtare, quæ haſta erat frondibus vitium aut hederæ aliquando ſuaviter ornata, & cervi pellem, quam nebrida vocabant:

Πρώτας δὲ Θήβας τῆς δὲ γῆς Ἑλλάδος,
Ἀνωλόλυξα νεβρίδ᾽ ἐξάψας χροὸς,
Θύρσον τε δοὺς εἰς χεῖρα κισσινὸν βέλος.

i. e. *Primas vero Thebas hujus terræ Græcanicæ Ululatu complevi, induens cervinam pellem corpori. Et thyrſum dans in manus hederaceum i. e.* hederatectum *telum.* T*hyrſus* itaque erat inſigne B*acchi*, & fuit haſta veſtita frondibus, pampinis, ac foliis hederæ; in cujus extremitate cuſpis erat, aut mucro forma coni pinei. *Plin. lib. 16. c. 34.* Hedera Liberi patris adornat thyrſos. *Ovid. in Epiſt.* haſtam pampineam vocat:

Ut quas pampinea tetigiſſe bicorniger haſta
Creditur

Juſtinus *ὥσπερ αἱ βάκχαι διὰ σχήματος εἰρηνικοῦ τὰς λόγχας ἐν τοῖς θύρσοις περιφέρουσιν: veluti Bacchæ* per ſpeciem pacis lan-

ceas in Thyrſis circumferunt Addit *Macrobius*, mucronem quoque ipſum tegi lambente hedera, *Senec.* clarè in *Hercul. furent. Act. 4.* tectam virenti cuſpide thyrſo gerens. *Nonnus lib. 9.* hunc thyrſum dicit κευθόμενον πετάλοισιν : occultatū foliis: alibi, κατάσκιον: inumbratum. Hunc Baccho proprium eſſe, certò conſtat. A *Sidonio Antipatro Bacchus* dicitur θύρσῳ δεινὸς, *thyrſo terribilis. Stat. 5. Sylvar.*

— — *cui jus venerabile thyrſi Bacchus*

Eandem rem firmat inſania *Antigoni & Antonii.* Prior apud *Herodot. lib. 1.* Bacchum repræſentaturus tum hederam capiti circum ponebat pro diademate; tum maxime ferebat θυρσὸν ἀντὶ τοῦ σκήπτρου *thyrſum pro Sceptro.* Poſterior apud *Vellejum*: Cum Liberum patrem appellari ſe juſſiſſet, cum redimitus hedera, coronaque velatus aurea & thyrſum tenens, cothurnisque ſuccinctus, curru velut Liber Pater vectus eſſet Alexandria.

§. 8.

Fuit verò *thyrſus* non *Bacchi* ſolum, ſed *Baccharum*, cujus virtute nixas illas, atque eludente Dæmone, mira quæpiam prodigia feciſſe, antiqui prodidere. Apud Euripi-

ripidem *Bacharum* una cum petram thyrſo percuſſiſſet, *fons exſiliit aquæ rorulentus.* Alia, ut in terram jecit, remiſit Bacchus κρήνην οἴνου *vini fontem* --- & ferè ſtatim — — ἐκ δὲ κισσινῶν θύρσων γλυκεῖαι μέλιτος ἔσταζον ῥοαί: *ex hederaceis thyrſis fluxere mellis fluenta dulcia.* Neque abeſt mentio lactis apud eundem Tragicum:

Ῥεῖ δὲ γάλακτι πέδον,
Ῥεῖ δ' οἴνῳ, ῥεῖ δὲ μελισσᾶν,
Νέκταρι:

Fluit & lacte campus
Fluit vino, fluit & apum
Nectare

Cum igitur tot ac tanta miracula Thyrſus Bacchi patraret, poſſis elicere hanc formam adagii *Bacchi thyrſus* ad explicandam ſummam felicitatem & aurei ævi remigrantem naturam: velit enim fortaſſe aliquid, mentione celebritatis *Bacchi* translatæ à Cæſare *Romam* ex *Armenia*, innui ævum aureum & floridum, quod ille Romam invexerit. Quam verè nihil moror; nam quid veri requiras in adulante Poëta? Ex his, quæ diximus, apparet etiam ratio proverbii *Platonici* in *Phædone*: *Sunt enim* (*ajunt qui in myſteriis verſan-*

versantur) *Thyrsigeri quidem multi, Bacchi verò pauci.*

§. 9.

Celebrantur etiam *Bacchi* sacrificia cum *tripudiis*, quare *Dionysius* vocatus est ἐνόρχης δαίμων *tripudii Deus*, ut ait *Lycophron*.

Deus tripudii Phigaleus, *Phaustertus*. Nam ὀρχεῖσθαι tripudiare significat, quiidem dictus est *Phigaleus* & *Phausterius* vid. *Natal. Comit. Mytholog. lib. 5. pag. m. 489.*

Nonne hęc accuratè conveniunt cum moribus Judæorum in festo tabernaculorum, qui saltando & canendo lætitiam testatam faciebant, uti celeber. *Johann. Meyer in diatrib. de festis pag. 352.* declarat. *Gaudium*, inquit, peculiare erat sacræ *saltationis*. Post sacrificium vespertinum in loco haustæ aquę magno numero conveniebat populus, cum, omnis generis musicis instrumentis productis, melodiæ & cantus inciperent, nec *vulgus*, sed *Magnates* & populi *Principes*, Seniores, Synedrii membra & Scholarum Doctores, viri quiq; gravissimi saltarent, manib9 plaudentes & lætitiæ gestus edentes coram

plebe,

plebe, quæ ſedibus in circulum compoſitis hæc omnia ſpectabat. De iis omnibus vide *Succa Hierojolym. f.55. & Babyl. f.5.* ne non *Maimonid.* Hilch *Schophar. c.8. §. 12.*

§. 10.

De inſtitutore Feſti Tabernaculorum cõſtat Deum præcepiſſe in Levit. c, XXIII. *Anno Mundi 2454.* paulo poſt exitum ex Ægypto. Inde Gentes, ut alia acceperunt. Primus in Græciam videtur intuliſſe B*acchus Semeles filius* poſt annos ferè ducentos tempore Judicum & ſervitutis ſub *Jabine Judic. 4.* Magus fuit ille inſignis: *Multorum mores hominum qui vidit & urbes*, Moſis, ut in *Analect. Sacr. vol.2. docuit Urſinus*, gloriæ æmulus, qui viti ſator viniq; repertor, & Deus ideò haberi voluit. Hinc OSCHOPHORIA inſtituta, & quidem *Athenis à Theſeo* circa *annum* M*undi 2726.* in honorem Bac*chi*, quo tempore judex erat *Thola*. In iis adoleſcentes muliebriter veſtiti palmites vitis geſtantes plenos maturis uvis, canebant *Oſchophorica* carmina ut refert P*roclus in Chreſtomathia apud Photium.* Conf. *Joh. Faſoldi tract. de Græcor. veter. ἱερολογία. Decad. V. feſt. X. p. m. 187. edit. Jenenſ. 1676.* Joh. Henric. *Urſin. analect. ſacr. tom. 2. lib. 3. pag. m. 129.*

§. 11.

§. II.

Acut Judæi in Scenopegiis acclamabant suum HOSANNA, salutem & liberationem precantes à DEO, de qua re videndi fuit *Isaac. Casaubon. Exercit.* XVI. *ad Anal. Ecclesiast.* Baron. *pag. m.* 321. *plur.* Reverend. *D. Majus Profess. hujus* Academ. *celeberrim. in Exegesi super Evangel.* Jansen. *Concord.* Evangel. aliique; Ita inter libandum Græci suum: ELELEU, JU, JU! de quo *Plutarchus* qui *Sympos. l.4. quæst. 5.* argutatur, Deum Judæorum fuisse Bacchum, vel Adonia & inde Scenopegia, ut & *Cradephoria* ac *Thyrsophoria* eorum orta: quæ *Sacras* Antiquitates non ignoranti, vix puto condonanda. Eadem profert cl. Joh. *Fasold. l.c. pag. m. 189.* §.7. Inter libationem ΕΛΕΛΕΥ, ΙΟΥ, ΙΟΥ acclamabatur. Nam Græci teste *Eusthathio* ad *Odyss. V.* Deum propitium sibi petentes exclamabant ἰή, ἰή, id quod demum in ἰή, vel ἰȣ transformatum ut testatur *Plutarchus* ἐλελεῦ ἰȣ ἰȣ ἀναφωνεῖν οἱ παιανίζοντες, εἰώθασι, *solentiisii, qui Pæana canunt, exclamare* ἐλελεῦ ἰȣ, ἰȣ hoc enim tam ἐλελεῦ ἰα quàm ἐλελεῦ ἴακχε originem non aliunde habet, quam ex Hebræ-

bræorum הללוי יה ut obſervat *Heinſius in Ariſtarch. ſacr. c. 1.* & ex eo deſcribit Angl. *Dikinſon Delph. Phænic. c. 6.* Non͠e hæc Græci ab Hebræis; qui poſtquã ſibi proſpexiſſent de *faſciculo*, quem manu geſtarent, & alio, quẽ ad altare collocarent, ſemel ſingulis diebus atrium ingrediebantur, & *faſciculos* manib9 tenentes altare circumibant hoc occinentes אנא יהוה הושיעה נא ה̈ הצליחה נה *Salva obſecro nunc Domine, proſpera, obſecro Domine.* Ita in hoc feſto cani ſolitum eſt *Hallel magnum.* Dumque ab uno occineretur verba Pſalmorum, à toto cætu aliquando reſponſum eſt ad quaſdam clauſulas HALLELUJAH. vid. *Joh. Henric. Othon. Lex. Rabbino-Philolog. p. m. 198. edit. Genev.*

§. 12.

Ita Diabolus Dei Simia & gloriæ Sacrilegus æmulator fuit. Ab *Hebræis* iſta *Græcos* accepiſſe, ipſa illa Hebraica inter libandum acclamatio teſtari potuit: Sunt enim merè ſacra Dei noſtri nomina, *Baccho* per ſacrilegiũ tributa: EL EOHEjAO, jAO. Confer *Wormii. antiq. lib. 1. ex Tacit. & Martial. edit.* Hafn. Ita in Oraculo vetuſto apud *Macrob. 1. Saturnal.*

Pluto hiemis, veris naſcentis Juppiter, & Sol
Æſtatis præſes autumni eſt mollis Jão.

Hacte-

Hactenus aſſentimur *Samuel. Bocchartolib. 1. Chan. c. 18.* Bacchica myſteria & Orgia ex Oriente in Græciam translata; ſed à *Nimrodo* orta, & à *Cadmo* invecta, non videmus, cur affirmari debuerit? Gentium κακοζηλία & Diaboli θεομαχία notiſſima eſt. Nec veri videtur ſimile, ſi mos ille OSCHOPHORIORUM, geſtandi ſcil. in DEI Creatoris Datoriſque bonorum omnium, honorem, frondes, jam olim à *Tyr is* aut *Aſſyriis* receptus fuiſſet, quod eum morem præcepto ſancire DEUS voluerit in populo ſuo peculiari; quem à Gentium profanis ritibus quam longiſſimè ſemper voluit abductum. Denique, ut nullum putamus hujus moris ante legem Dei in Levitico latam, reperiri veſtigium; ita quod autore B*accho* ad T*hebanos*, & T*heſeo* ad *Athenienſes* pervenerit, oſtendimus. *Adonis* quem *Syri* & *Aſsyrii* ut alterum B*acchum coluerunt*, *ſive Cinyræ* filius fuit, qui in *Cypro* Paph*um* condidit; ſive T*hoantis* ex *Myrrha* filia inceſtuoſa; non tantum *Moſe*, verum etiam B*accho* T*hebano* videtur aliquot ſeculis recentior, ut ex *Apollodoro* colligere licet *lib. 3. Biblioth.* Iſiacos in *Ægypto*, pro divæ fronde, quam in Ægypto vi-

vere

vere posse negant, *ramulos absynthii Scryphii* manu præferre solemnæ habuisse, referunt *Dioscorides* & *Plinius l. 27. c. 7. probatissimum nasci in* Taphosiri, cui à sepulchro *Osiridis* nomen, testantur. Itaque in ejus honorem amarissimam herbam gestavisse conjici potest.

§. 13.

Cæterum & *Athenis* in pompa Panathenaica Seniores manu ferebant ramos, dicebanturque θαλλοφόροι. Certè ille chorus senum apud *Aristophanem* de senibus loquens ait eos ut inutiles rebus agendis ac pompæ traducendæ tantum idoneos per ridiculum vocari θαλλοφόρους. vid. *Paschal. de coron. lib. 4. pag. m. 243. & lib. 6. cap. 16. pag. m. 394.* Adoraturis quoque θαλλοὺς in manus datos, qui eos primi alimenti & vitæ fugaeis admonerent, tradit *Clem. Alexandrin. 5. strom.* Credo potius, ut scirent, quo animo, quaque cum pietate DEUM adire deberent, qui peccatores non audit

--- *Procul, ô procul este profani! contra*
Implent fata, Viri quod voluêre boni

Qui Domino occursuri gratumque OSANNA, ô Domine salvum fac! decantaturi sunt, gestent talem ἱερεσιώνην cogitent,

quam

quam ſint ævi brevis, ut ramus à matre avulſus: cogitent DEI Creatoris paternam providentiam, qua nos tot bonis cumulavit: cogitent *Meſſiæ* victoriam, cujus ſignum palma eſt: cogitent, fructus novæ obedientiæ quos offerre debeant.

CAPUT XV.
DE
Phyllobolia mortuis exhibita.

§. 1.

NOn autem duntaxat hic honor, uti monſtravimus *Vivis*; ſed etiam mortuis habitus eſt, quod non tantum patet ex *Suetonio. Auguſt. c.18.* ubi *Auguſtus Alexandri Magni conditorium & corpus prolatum floribus aſperſis veneratus* dicitur; nec non è *Plinio lib.21.c.3.* ubi agit de funere *Scipionis. c.3.* Sed inprimis laudabile eſt illud, quod de Marco *Antonino Philoſopho Capitolinus in ejus vita* refert: Hic ſcil. *tantum honoris Magiſtris ſuis detulit, ut imagines eorum aureas in Larario haberet, ac ſepulchra eorum aditu, hoſtiis, floribus ſemper honoraret.* Sed & apud *Dionyſium*

um Halicarnaſſ. *lib. XI. pag.m.719. Edit. Græco-Latin. Francof. Frid. Sylburg.* pulchrum reperitur exemplum de *Virginia* virgine deſponſata cuidam *Icilio* dicto. Hanc cum illicito amore ambiret *Appius Claudius*, eamque nunc ſibi vendicare vellet, ipſius pater *Virginius*, hoc animadvertens cultrum ex officina coquinaria arreptum in viſcera filiæ adegit, eamque interfecit his verbis: LIBERAM TE ET PUDICAM SUB TERRAS AD MAJORES DEMITTO. Hoc cum factum ac deinceps mortua in forum lecticæ impoſita eſſet omni lugubri ornatu, *proſiliebant ex domibus mulieres & virgines* τὸ πάθος ἀποδυρόμεναι, αἱ μὲν ἄνθη καὶ στεφάνους βάλλουσαι κατὰ τῆς κλίνης, αἱ δὲ τελαμῶνας ἢ μίτρας i.e. Sylburgio vertente, *caſum graviter lamentantes, aliæ flores & coronas in lecticas conjiciebant, aliæ faſcias & vittas, aliæ virginales è coma luſus, nonnullæ etiam deſectos è crinium plexu concinnos.* Vide de his pluribus *tractat. de luctu* Græcor. nuper editum *Kirchmann. de funeribus edit.* Brunsvic. *pag. m. 88. ſeqq. Franciſ. Rous in Archæol.* Attic. *lib. 5. c. 32. p. m. 268. edit. Oxon.*

§. 2. *Se-*

§. 2.

Sepulchra quoque ipſa & conditoria floribus & unguentis conſperſa oſtendit ſupra citatum exemplum *Svetonii in vita Augusti, & Capitolini* locus de Antonino. Cui addatur iterum *Sueton. in Neron. Claud. c. 57.* ubi refert: quod non defuerint eo mortuo, *qui per longum tempus vernis æſtivisque floribus tumulum ejus ornaverint.* Inprimis verò Herodian. *lib. 4. c.* 8. memoriæ prodit: *Antonium Caracallam Achillis tumulum* ϛεφάνοις καὶ ἄνθεσι, πολυτελῶς *inſperſiſſe ac ornaſſe.* Unde etiam *Virgil. lib. 6. Æneid. v. 883. & 884.*

— — Manibus date lilia plenis
Purpureos ſpargam flores —

Marcelli admodum adoleſcentis immaturam mortem ſub perſona Auguſti deplorans. Huc etiam pertinet illud *Juven. Satyr. 7. v. 207.*

Spirantesq; crocos & in urna perpetuũ ver

Ad quæ verba *Eilhard. Lubin. pag. m. 340. edit. Hanov.* 1619. Spirantesque crocos i. e. *roſas, violas,* ver perpetuum circum tumulum vireſcens, crocos fragrantes circum ſepulturam, ita dicit nam *Pythagoricorum* more inter herbas odoratas condiebantur.

Pariter

Pariter illud *Propertii* obscurè quidem sed eleganter admodum *lib. 1. eleg. 17.*

— — & tenera poneret ossa rosa

Stat, in Sylv. Ver Arabum

Cilicumque fluit floresque Sabæi

Et *Prudentii* egregium carmen quod est atque ita claudit:

Nos tecta fovebimus ossa
Violis & fronde sequenti
Titulumque & frigida saxa
Liquido spargemus odore.

Thessali apud *Philostratum* in *Heroicis* dabant sepulcro *Achillis coronas amaranti.* Attigit & morem hunc sacer Scriptor *Hieronymus epist. 26. ad* *Pammachium*: Cæteri mariti super tumulos conjugum spargunt *violas, rosas, lilia floresque purpureos.*

§. 3.

Nec illud silentio prætereundum, Veteres *defunctorum urnas quotannis rosis aliisque floribus ac condimentis spargi ornarique solitos,* quod ex descriptionibus antiquorum marmorum patere dicitur. Idem non obscure colligitur ex illo *Tibulli lib. 2. eleg. 4.*

Atque aliquis senior veteres veneratur amores
Annua constructo serta dabit tumulo.

Serta autem illa plerumque ex *apio* erant

constructa, quæ sepulchris imponebantur. Inde *apio eos indigere* dicebant, qui periculose ægrotabant & vix animam trahebant. Vid. *Plutarch. Quæst. convival, & Plin. lib. 20. cap. 11.* Confer. *Carol. Paschal. lib. 4. de Coron. cap. 6. pag. m. 220. seqq.* qui fuse hanc materiam pertractavit.

§. 4.

Hic etiam mos spargendi sepulchra floribus ac sertis à Gentilibus posterioribus sæculis ad ipsos Christianos derivatus esse videtur. Insignis hac de re locus occurrit apud *Hieronym. in consolati: ad Pammachium* super obitum *Pauline* uxoris *Tom. 1. epist. 26. c. 2.* ubi in hæc prorumpit verba: *Cæteri mariti super tumulos conjugum spargunt violas, rosas, lilia floresque purpureos, & dolorem pectoris his officiis consolantur. Pammachius noster sanctam favillam ossaque veneranda eleemosynæ balsamis rigat, His pigmentis atque odoribus fovet cineres quiescentes,* Idem *epistol. 3. c. 1. ad Heliodorum* scribit: *Quotiescunque nitor in verba prorumpere & super tumulum ejus flores spargere; toties lacrymis implentur oculi & renovato dolore totus in funere sum.* Illud ipsum

quoqu

quoque teſtatur *Severus dialog.3.cap.22.* inquiens: *Licet inani munere ſolum ipſum* (ubi ſepultus Pomponius) *flore purpureo. & ſuave redolentibus ſparge graminibus.* Add. *Barthii Adverſar. lib.4. c. 18.* de more ſpargendi floribus ſepulchra, univerſe *VVovverium, Elmenhorſtium & Ouzelium* ad illud *Minucii in Octavio, Coronis etiam ſepulchro denegatis.* Ita Floribus & unguentis ſparſa *Martyrum* ſepulchra authores probant, *Prudent.* & *Periſtepn. Hym.3.* in *Eulaliæ* laudem!

Carpite purpureas violas,
Sanguineosque crocos metite
Non caret his genialis hiems
Laxat & arva tepens glacies:
Floribus ut cumulent calathos
Iſta comantibus è foliis.
Munera virgo puerque date.

Plura qui deſiderat evolvat *Martini de Roa ſingular. lib.1. cap. XXII. pag. 659* Unde & conſuetudo hodierna *Germanorum* originem traxit, qua in diverſis regionibus præſertim Juvenum loculos vel roſis vel coronis exornant: Da ſie die Jünglinge und Junfrauen mit allerhand Blumen beſtreuen und mit Kräntzen zieren. Imò etiam tumulis eorum omnium generum

frutices floriferas imponunt, ut quotannis quasi *Phyllobolia* exornant.

§. 5.


Ex his conspicimus, eam etiam in re funebri φυλλοβολίαν fuisse adhibitam, & alioquin in rebus non adeò lætam præ se ferentibus faciem. Lubet hac de re, ut eò evidentius hoc sese oculis nostris insinuet, adhuc locum adscribere ex *IV. Verrina Ciceron.* *Quid*, sunt verba ipsius, *hoc tota Sicilia est clarius: quam omnes Segestanas matronas & virgines convenisse, cum Diana exportaretur ex oppido? unxisse unguentis? complesse coronis & floribus? thure odoribusque incensis usque ad agri fines prosecutas esse?* Agit enim ibidem de Simulachro *Dianæ* dicendi Magister, quod *Verres Segestanis* non sine ingenti dolore ac luctu abstulerat; quod simulacrum quoque ab ipso ibidem multis describitur. Ex memoratis igitur evidentissime patet, quod eos, quos honore *Veteres* voluerint exceptos φυλλοβολίᾳ affecerint.

§. 6.

In contrarium verò quibus contumeliæ notam inurere satagebant, aut quos odio prosequebantur, eos *Lapidibus, rapis, fimo, cœno & luto* & aliis rebus petere solebat.

Con-

Confirmat id *Suetonius in vit. Tiber. Claud. Flavii Vespasiani c. 4. Adumeti seditione quadam rapa in eum jacta scribens.* Nec non S. *Aurelius Victor*, qui de Antonino pio scribit, *eum ob suspicionem inopiæ frumentariæ lapidibus à plebe perstrictum*; & de *Bibulo Consule* quendam *cophinum stercoris plenum in caput ipsius effudisse.* Quemadmodum etiam hunc morem tangit *lex prima ff. l. 47. de extraordinar.* criminibus. Huc quoque referenda *theatralis illa lapidatio*, quam sæpius mali Poëtæ sustinuerunt. Ut enim *Virgiliis flores & coronas*; ita *Mœviis* lapides injiciebant. Hinc Athenis quoque observatum, ut facinorosi extra fines ablegandi, aut alii damnati, luto illinirentur; quemadmodum hujus rei testis autor *Etymolog.* annotante *Causabono in vit. Vesp. c. 4.* ad Sueton. Qui mos & consuetudo variis in locis adhuc viget, ut illi, qui ob aliquod crimen ex patria vel civitate ejiciuntur, *luto* vel lapidibus petantur & maculentur. Et hæc ita breviter de Phyllobolia dicta sunto. Faxit igitur DEUS ut hæc omnia ad nominis sui gloriam & studiorum emolumentum vergant, cui sit laus & gloria in æternum.





DN. JOHANNIS CUNRADI DIETERICI PROF. GIESS.

ΦΥΛΛΟΒΟΛΙΑ SEU SPARSIO FLORUM

THEMA PRIMUM

SUMMARIUM.



Istinctio florum in sertos & solutos ex Apulejo, Tertulliano, Arnobio. Serti aliàs sertivi dicti à Plinio, cujus varia lectio indicatur. Florum sertorum è Græcis maximè Poetis periphrasis. Coronarum inde florearum prolixior tractatio, cum floribus solutis intimè conspirans. Στεφανοβολία admodum ἀνθολογίας in honorandos introducta. Emendatur Capitolinus ex mente Lipsii. Deorum simula-



mulacra propriis cuique floribus coronata. Hominum quoque ac benemeritorum statuæ coronatæ. Coronarum usus in sacrificiis circa aras, sacerdotes, victimas. Coronati oracula adeuntes. Coronatæ puppes navium. Adhibitæ coronæ diebus solennibus ac festis, in quibus & ipsæ personæ coronatæ. Locus III. Maccab. VII. 14. Dissensus Tertulliani, *coronas* Judæis *usitatas negantis. Contrarium probatur ex Esaia XXVIII, 1. 3. Sapient. XI, 8.* De Tertulliani *præpostero studio Beati Rhenani judicium. Coronæ convivales, earumque finis. Vina, pocula, fercula, coronata. Mortuorum sepulcra coronis roseis, myrteis &c. coronata. Coronarum usus; à Tertulliano Minutio Felice, Prudentio, Clemente Alexandrino, Augustino, in Christianis improbatus, qui tamen suo modo iis usi. Paschalius de coronis,*

I.

Ut de iis, quæ integrâ hac dissertatione tradenda sunt, eò melius constet, non inconveniens fuerit, si ὡς μακρὰν παρανεῖν descriptio aliqua tractanda proponat. Est itaq; *Sparsio florum* Græcis ἀνθοβολία καὶ φυλλοβολία dicta, mos occupatus circa honorẽ tam Diis quàm hominibus exhibendum, iisq; vel

vivis vel mortuis, idque flores in eos emittendo, aut eorum ſubſternendo pedibus, & ſi qui alii occurrunt ritus ſuo loco adducendi. Non enim hic omnibus numeris abſolutam deſcriptionem damus, ſed talem ſaltem, quæ neminem hoſpitem planè dimittere poſſit ad ſequentium lectionem.

II.

Nunc itaque quædam circa hunc morem diſtinctius explicanda veniunt. Et ipſo quidem in limine ſtatim ſeſe offert illa Florum *διχοτομία* in *ſertos & ſolutos*: *Jacula* floris ſerti & ſoluti vocat Apulejus (1.) more ſuo *ἑλληνίζων*, judice Caſaubono. (2.) *Sparſis utimur, mollibus ac* ſolutis, & ſertis *colla complectimur*. ait Arnobius; vel ſi mavis, Minutius Felix (3.) *Liberos, ſolutos & undique vagos à floribus in coronam coactis* diſtinguit Tertullianus (4.) qui idem alibi meminit *florum inſertorum, innexorum, liberorum, & ſolutorum.* (5.) *Serti* ſunt integræ coronæ ex florum vario genere compactæ, inde propria voce *plectiles* dictæ, Weitzius (6) à ſutilibus diſtinctæ, Turnebus (7.) ut & volubilibus ſeu *κυλιςοῖς* de quibus Caſaubonus: (8) Sicque *plectilem coronam* apud Plaut. Bacchid. capit Gothofredus Jungermannus: (9.) *Soluti* verò

rò sint nudi flores. Sertos flores aliàs quoque *sertivos* dicebant veteres, teste Plinio: (10.) *Cum verò è floribus fierent serta, à serendo sativæ appellabantur.* Ita quidem hunc locum recitari & emendari vult Turnebus, (11.) non *serviæ* aut *serivæ*, sed eam lectionem audacter se improbare asserit Lipsius (12.) qui restituit *sertivæ*, non inconcinnè, quanquam ab utrisque discedat Aug. Buchnerus (13.) qui reponit *sertæve* hoc modo: *Cum verò à floribus fierent* (strophia seu coronæ) *à serendo serta* sertæve *appellabantur.* Exprimit utrumque genus florum eleganter Longus Sophista: (14.) Τὰς μελίττας μιμούμενοι τὰ ἄνθη συνέλεγον, τὰ μὲν εἰς τοὺς κόλπους ἔβαλον, τὰ δὲ στεφανίσκους πλέκοντες ταῖς Νύμφαις ἔφερον. Has ex floribus coronas propriè στεφάνους dici, ex alia autem quavis materia, ut aurô &c. στεφάνας observant Grammatici ex Hesiodi Theogonia. Meritò quoque Servium notavit anteà laudatus Buchnerus, qui *sertus* in fœminino & absolutè dici posse negaverat, cum manifestè contra eat Propertius. (15.)

Cum tua propendent demissæ *in pocula* sertæ

Sic enim ex Sosipatri sententia legit festinantibus nimium fatis rei literariæ ereptus Lu-

cas Fraterius Brugensis; (16) non *serta.*

(1) Apulej l. X. *Asin. aur.* p. m. 466. *Edit. Wouwer.* (2) Casaub. *ad Sueton. Neron.* C. XXV. p. 493. (3) Minut, Felix *in Octavio, vel ut alii,* Arnob. l. VIII. *contr. gent.* p. 231. (4) Tertull. *Apologet.* C. XLII. p. 712. *Edit. de la Barre.* (5) Tert. *de coron. milit.* p. 343. (6) VVeitz. *ad Prudent. Apotheos.* vers. XXXVI. p. 632. (7) Turneb. II. *Adversar.* 30. (8) Casaub. *Animadvers. in Athenæ l.* II. C. 10. p. 101. (9) Jungerm. *ad Long. Soph.* ποιμενικ. l. 1. pag. 198. (10) Plinius XXI. *Histor. natur.* 2. (11) Turneb. XXVIII. *Advers.* 29. (12.) Lips. l. III. *Antiq. lect.* in *Oper. Critic.* p. 157. (13) Buchner. *in recogn. Thesaur. Schol. Fabr. Sorani pag.* 1254. (14) Long. Sophist. l. I. ποιμενικῶν p11. (15) Propert. l. I. Eleg. 17. (16) Fruter. II. *Verisimil.* 10.

III.

Στεφάνυς hosce variè περιφράζυσι veteres. Ut unum vel alterum adducam, στεφάνυς ἰσθαλέας vocat Philoxenus (1). ἀώτυς στεφάνων Pindarus (2) (quæ στεφάνων ἄνθεα appellat Thyillus (3) στέφανον εὐανθέα idem Pindarus (4) στέφεα περίβολα Euripides (5) στέφη θαλεῖα Empedocles (6) εὐπετάλυς στεφάνυς Palladas (7) ἡδυπνόυς Melea-

Meleager (8) demum στέφος ἀνθέων πλέξας Rufinus. (9) Apulejus (10) nominat *coronam multiformem variis* floribus *sublimem distringentem verticem*, item *coronam totis* floribus *constructam* &c. Dicuntur aliàs Latinis quoque *Corollæ, coronamenta.*

(1) Philox. *apud Athenæ lib. IX. Dipnosoph.* (2.) Pindar. *in Olympic. Od. IX.* (3) Thyill. l. III. Ἀνθολογίας C. *XII. Epigramm. XII.* (4. Pind. *Isthmic. Od. VII.* (5) Euripid. *Jphigen v. 1477.* (6) Emped. Ανθολ' *86.* (7) Pall. II. Ανθολ. XLVII, 19. (8.) Meleag. VII. (9) Ανθολ. *5.* Ruf. VII. Ανθ. 126. (10) Apul. l. XI, *Miles.* p. 412.

IV,

De *Origine* ipsarum florearum coronarum non usque adeò ambigimus; primum ne textæ sint in Brutiis circa Vibonem Valentiam, cujus περικείμενα, quòd εὐλείμωνα καὶ ἀνθηρὰ essent, τὴν Κόρην ἐκ Σικελίας, πεπιστεύκασιν ἀφικνεῖσθαι, δεῦρο ἀνθολογήσουσαν, ut ait Strabo, (1) num verò *Spicea* coronatum prima fuerit Romanis, quod vult Plinius, (2) & an nondum invento coronas è floribꝰ texere, antiqui Romani usi fuerint, *tæniis tortis*, quod aliis placet Nec de ipsa etiam co-

coronarum antiquitate dispicimus, quam Prometheô superiorem demonstrat Scaliger pater, (3.) Bifronti æqualem Jano Victorius, (4.) confer Cæl. Rhodigin. (5.) Sed ad eam coronarum tractationem nos accingimus quæ hujus loci propria est, nec sine injuria solutorum florum dimitti potest.

(1) Strabo lib. VI. *Geograph.* p, 177. *Edit Casaub.* (2) Plin. l. XVIII. H. *N. C.* 2. (3) Scal. l. *poetic* .23. (4) Petr. Victor. XXXVI. *Var. Lect.* 16. (5) Rhodig. *III. Antiq. Lect.* 33.

V.

Primum itaque locum sibi vindicet ea florum sertorum mentio, quæ ab ἀνθοβολίας ritu non usque adeò est aliena, ut potius, si ullum aliud, intimè cum eo consentiat & conspiret. Sicut ergo *florum solutorum sparsione* eximium exhibendi honoris specimen dabant, de quo deinceps, ita *sertorum* quoque & *integrarum jaculationibus & emissionibus coronarum*, magnam ad honorem accessionem & augmentum fieri putabant. Hujus στεφάνων βολῆς varia sunt exempla. Livius (1) de Flaminio liberatore Greciæ: *Omnes tendere ad Imperatorem Romanum, ut ruente turba in unum adire, contingere dextram cupientium.* coronas lemnis-

lemniscosque jacientium, *haud procul periculo fuerit.* Capitolinus (2) *In saliatu omen accepit imperii*, coronas *omnibus in pulvinar ex more* jacientibus: Ita enim binis locis emendavit Lipsius, (3) qui & de coronis, quas sibi detractas in Martis statuam Salii conjiciebant; & sic quoque præ se fert editio in Volum. Histor. Roman. Scriptor. S. Gervasii Anno 1628. adornata. Apud Pindarum (4) Jasonem, Draconem expugnantem, ἕταιροι ejus στεφάνοις ποίας ἔρεπτον ubi vetus Scholiastes τὸ ἐρέπτειν, per στεφανοῦν explicat. Similiter Iphigeniam jam jam immolandam Chorus apud Euripidem (5) introducit ἐπὶ κάρα στέφη βαλλομέναν, & Hedylus (6) jubet τοὺς σορονηγοὺς Ἀγινμίτραις βάλλειν καὶ στεφάνοις [de mitris obiter addo ex scholiaste Pindari: (7) Μίτρας ἔνδοθεν τῶν στεφάνων καὶ διαδήματα ποικίλα εἰώθασι συνδεῖν.] Hæc nunc de coronarum sparsionibus dicta sufficiant, plura videantur apud Paschalium (8)

(1) Livius *Decad.* III. l. 2. (2) Capitol. *in Antonin. Philos.* C. 4. (3) Lips. I. *Elector.* 30. Idem *ad* l. XIV. *Annal.* Tac. n. 146. (4) Pindar. *Pyth. Od.* IV. (5) Euripid. *Iphigen. in Aulid.* v. 1512. (6) Hedyl. II. Ἀνθολ. XXII. 12.

[7] Schol. *Pind. in Olymp. Od. IX.* p. 91, 92.
[8] Paschal. II. *de Coron.* 11. *pag.* 105.

VI.

Quomodò ἄνθεα ποιάωτα στεφανώματα tulerint veteres, porrò dicendum erit: Offert se hic in frontispicio illud non sicco prætereundum pede, qua ratione, ut hæc mihi de suo largiatur Clemens Alexandrinus [1] ἄνθη οἱ ἀνόητοι λαβόντες, οὐκ εἰς την ἰδίαν εὐχάριστον χρῆσιν, ἀλλ' εἰς τὴν τῶν δαιμονίων ἀχάριστον ὑπηρεσίαν κατεχρήσαντο. Scilicet, cum nihil infectum relinquerent Ethnici quod testandi sui in Deos affectus μνημόσυνον esset, illos *in simulacris, statuis & imaginibus, iis floribus ac frondibus coronabant*, quorum maximè delectatione capi eos perspectum habebant, Alexander ab Alexandro. [2] Inde apud Longum [3] Daphnis & Chloe ἀναζητοῦσιν ἄνθη στεφανῶσαι θέλοντες τοὺς θεοὺς, qui idem [4] Bacchi τοῖς ἄνθεσι στεφανωθέντος meminit, de cujus aliàs coronis Natalis Comes. [5] Nicias (6) de simulacro Mercurii:

Ἑρμῆς ὧ ἑστ' ᾠδὲ στὰς ἀμάραθον ἠδ' ὑάκινθον
Πολλάκι καὶ θαλεροὺς θῆκαν ἴων στεφάνους:

De Feronia ἀνθηφόρῳ Dionysius Halicarn. [7] De Musis, rosis coronatis, Victorius. [8] De Cupidine à Zeuxide floreis coronis picto

Meur-

Meursius. (9) De Compitalibus Laribus ab Augusto bis anno vernis floribus & æstivis ornatis Suetonius. (10) Ipsa quoq; inanimata in Deorum coronata honorem, quale de lapidibus Terminalibus referunt Turnebus, (11) Dempsterus (.2) VVeitzius, (13) & de pinûs ramulis in honorem magnæ Matris violaceis coronis comptis & redimitis Arnobius 14) cujus elegans etiam de eo, quem modò dixi, more locus est. (18) *Etiam Dii sertis coronis afficiuntur & floribus?* sicut aliàs quoq; præclarè de republica meritorum imagines & statuæ coronatæ, quale de victorum statuis ex Cicerone & Tacito Dempsterus, (16) & de Maximi, Balbini, Gordiani imaginibus *στεφάνοις καὶ δάφναις κεκοσμημέναις* ex Herodiano Ursinus (17) refert. Ipsorum coronatorum ob res bello benè gestas meminit Livius, (18) quam *honoris coronam* interpretatur Cornel. Nepos, (19) nec injucunda hanc in rem de Græcis profert Casaubon. (20) Concludo verbis Tertulliani: (21) *Nemo non diliget imaginem quoque sponsæ, imò & servabit illam & honorabit, & coronabit.*

(1) Clem. Alex II. *Pædagog. 48. p. 78 Edit. Sylburg.* (2) Alex. ab Al. IV. *Genial. dier. 17.*

3.)

(3) Long. Soph. III. *pastoral.* p. 105. (4) Long. IV. *pastor.* p 144, 150 (5) Nat. Com. v, *Mythol.* 13. *p.* 480. (6) Nicias IV. Ανθολ. XII. 36. (7) Halic. III. *Antiq. Rom.* p. 173, ubi V. *not. Sylburgii.* (8) Victor. XIV. *var. lect.* 18. (9) Meurs. II. *Athen. Attic.* II. *p.* 118, 119. (10) Sueton. *August.* C. XXXI. (11) Turneb. XVIII. *Advers.* 8. (12) Dempster. *paralip. ad* Rosin. II. 20. p. 410. 411. (13) Weitz, *ad Prudent. p.* 768. (14) Arnob. l. v. *contr. gent. p.* 187. (15) Arn. l VI. *contr. gent. p.* 211. (16) Dempster. *ad Rosin.* X. 29. *p.* 177. (17) I. H. Urs. I. *Analect. Sacr.* 55. (18) Liv. *Decad.* I. l. x. *C.* 47. (19) Corn. Nep. *Thrasybul. C.* IV. (20) Casaub. XII. *in Athenæ.* 3. p. 832. (21) Tertull. l. v. *in Marcion.* p. m. 259.

VII.

Strictius nunc ad *coronarum florearum in sacris gentilium* usum descendendum. *Aræ* floribus redimitæ & coronatæ meminit Apulejus (1) à Salmasio (2) emendatus. De Genii *aris* ex Propertio & Ovidio agit Taffinus. (3) *Sacrificuli* etiam στεφάνοις ἱερατευμένοι Stuckius, (4) Persarum myrtô coronabantur, cujus multifariam in Persarum sacrificiis superstitionem notat Strabo, (5) sicut populô, Diis inferis facientes, Ursinus

ſinus. (6) Plura habent Lipſius (7) Weitzius, (8) Sicut ſacerdotes, ita *Poëtas* quoque coronari ſolitos obſervat Turnebus. (9) Deos etiam *coronati precabantur*, Juvenalis; (10) & oracula adituri ἐπὶ κεφαλῆς, μετώπου καὶ τραχήλου coronari, indeque revertentes, à domeſticis flexis genibus coronati excipi ſoliti, Hartungus (11) Lipſius: (12) Adde quod de Q. Fabio Pictore refert Livius. (13) Sic perſonæ ſacræ coronatæ, nec ſemper tamen; Abſtinebant enim nonnunquam coronis floreis, ut de θεσμοφοριαζούσαις notat Meurſius, (14) nec in Areopagi cancellos coronæ intromittebantur, obſervante eodem alibi. (15) *Victimarum* quoque *coronatarum* varia apud veteres mentio. Minores (de majoribus enim hic nullus dicendi locus eſt) victimæ floreis ſertis redimitæ, Carolus Paſchalius: (16) Cupreſſo coronatarum mentionem facit Prudentius, (17) quod ad ferale cupreſſi ſignum referendum, Caſaubonus (18) VVouvverius (19) Urſinus (20) & alii multi. Plura de victimis coronatis habent Renatus Laurentius, (21) Ravanella. (22) Antequam hinc abeam de *puppibus* adjicio, in Tutelarium Deorum honorem coronari eas ſolitas, ex Franciſco

de

de Mendoza [23] Mureto [24] Turnebo [25] & qui eum verbotenus descripsit, Taubmanno. [26.

1] Apulej. *l. Floridor. p. 556.* 2] Salmas. I. *Epistol. 87. p. 193. seq.* [3. Taffinus *de Ann. & lud. secular. l. 13. pag. 107.* [4. Guilielm Stuck *de sacrif. p. 70. a.* [5. Strabo l. XV. *Geogr. p. 504.* [Ursin. *Arboret.* Biblic. C. X . n. 10. [7. Lips. *in I. Ann. Tac. n. 63.* [8. VVeitz. *ad Prudent. p. 773.* [9. Turneb. XIX. *Advers. 3.* [10. Juven. *Satyr.* IX. 135. XII. 90. [11. Hartung. *Decur. I. Locor. Memorab. C.* VIII. *n. 6. & 26.* [12. Lips. *IV. Epistol. quæst. 21.* [13. *Liv. Decad. III. l. 3. c. 11.* [14. Meurs. IV. *Attic. Lection. 21. p. 218.* [15. Meurs. *Areopag. C. IV. p. 26.* [16. Paschal. IV. *Coron. 17.* [17. Prudent. *in Apotheos.* vers. 530. *ubi* V. *VVeitz. p. 624.* [18. Casaub. *ad Theophrast. Character.* XVII. p. 353. [19. VVouwer. *ad Petronii pag. 159. v. 14.* [20. Ursin. *Acerr. Philolog. l. 1. n. 88.* & *Dendrol. Sacr.* C. VIII. [21. Laur. *ad Tertull. de Cor. Mil. p. 357.* [22. Ravanell. *Biblioth. Sacr. v. corona n.* IV. [23. Franc. de Méd. l. v. *viridar.* C. 31. p. 394. 395. (24 Muret. x. *var. lect. 19.* [25. Turn. XIX. *Adv. 2,* & XXVI. *Adv. 5.* [26. Taubm. ad I. *Georg. v. 304.* Conf. *ad* IV. *Æn.* v. 418. *ad* X. *Æn.* v. 171.

VIII. Nunc ad illũ anthoboliæ vel maximè

gemi-

geminum morem, cùm in publica ac solenni lætitia, privata etiam, *Templa*, *Turres*, *Januas*, ac *Seipsos*, concepti gaudii indicium exhibentibus ramis ac floribus coronabant. Enarrant morem inter alios Bernartius (2. Turnebus (2. Weitzius (3. Chokier (4. qui idem in Christianis notat. Inde nuptiarum die postes sponsæque ipsæ ac januæ coronatæ, Joh. Bapt. Casalius (5. Dillherrus; (6. puerperarum quoque dom9, si masculum peperissent, oleaginâ, si fæmellam, laneâ ornabantur coronâ teste Meursio. (7. De dierum festorum coronis unum sisto Strabonem (8. qui narrat, *ταῖς γυναιξὶν τῆς Ὀυϊβώνης Ὀυαλεντίας ἐν ἔθει γεγονέναι ἀνθολογεῖν καὶ στεφανωπλοκεῖν, ὥστε ταῖς ἑορταῖς αἰσχρὸν εἶναι στεφάνους εἶναι τοὺς φορεῖν*, & præclarè observat Casaubonus, (9. Græcos scriptores celebrationem diei festi duabus vocibus designare, *φ σὶ καὶ στεφανώμασι*. Judæis hoc lætitiæ exprimendæ genus familiare notat liber tertius Maccab. C. VII. v. 14. ubi Judæi pristinæ libertatis possessionem à Ptolomæo Philopatore adepti *ἀνέζευξαν ἐκ τῆς πόλεως παντοίοις εὐωδεστάτοις ἄνθεσι κατεστεμμένοι μετ' εὐφροσύνης καὶ βοῆς ἐν αἴνοις καὶ παμμελέσιν ὕμνοις*. Dubites hic nō parū de libri Apocryphi, quēq; *ἀποδοκιμάζει* Philostorgius (10. *τερα-*

τερατώδη vocans, fide, si cum Tertulliani gravissimi patris (11) authoritate contuleris, omnem omninò coronarum usum à populo Judaico removentis, quanquam de coronis convivalibus lis ei moveri possit, maximè, si quis Esai. XXVIII. v. 1. & 3. per עֲטֶרֶת גֵּאוּת שִׁכֹּרֵי אֶפְרַיִם has ipsas coronas [quas Judæi à gentilibus, sicut multa alia per κακοζηλίαν accepisse poterant] intelligat, ebriosorum sermonibus subnixus, quos recitat Sapient. II, 8. στεψώμεθα ῥόδων κάλυξι πρὶν ἢ μαρανθῆναι, ita ut Tertullianus in coronarum gestatione Christianis adimendâ alicui nimium operosus fuisse videri possit, & undique corrasisse, quod pro suo faciat institutô judice Beato Rhenano (12).

1.] Bernart. *ad Stat.* II. *Thebaid.* v. 248. [2] Turn. XXII. *Adv.* 12. & XXV. *Adv.* 24. VVeitz. *ad Prudent.* p. 763. [4] Chokier. II. *Fac. Histor.* 8. p. 205. 206. [5] Casal *de Vrb. & Imper. Rom. part. II,* C. 16. p. 295. 297. [6] Dillherr. *Tom. I. Disput. Academ.* 25. *th.* 97 p. 805. [7] Meurs. *IV. Attic. Lect.* 10. p. 186. [8] Strab. l. VI. Geogr, pag. 177. [9] Casaub *ad Pers. Sat.* V. 183. [10. Philostorg. I. *histor. Eccl. I.* [11. Tert. *de Cor. Mil. pag.* 347. [12] B. Rhenan. *in ar um. l. Tert. de Cor. mil.*

IX.

De *coronis convivalibus roſcis* ordo nunc jubet, ut quædam addantur. Coronari iis ſoliti ebrii, quos inde Argentarius [1] vocat ϛέψαντας ἀνθοβόλον κρατὸς τρίχα. Varia coronationis hujus in Ἀνθολογίᾳ Græcorum ab Anacreonte, Empedocle, Thyillo mentio; qui modò ῥόδοις καταϛέφειν κάρηνα, modò ἄνθεσιν ἐπὶ κροτάφους ἀνάδειν &c. nominant. Ex variis florum generibus eæ coronæ confectæ. Euripides. [2]

> Κηγὼ τοῦτο καθ' ἅμαρ ἀνήθινον ἢ ῥοδόεντα
> Ἢ καὶ λευκοΐων ϛέφανον περὶ κρατὶ φυλάσσων
> Τὸν Τελεάτικον οἶνον ἀπὸ κρητῆρος ἀφύξω

Unde non ſine cauſa θαλείας ſeu convivia ἀπὸ τοῦ θάλλειν dicta autumat Lambertus Barlæus, [3] quòd floribus coronati epularentur antiqui. De fine hujus coronationis ex multis vide unum Mendozam: [4] An in conviviis præſtent ex floribus corollæ, an verò ex arborum ramis, diſquirit Cæl. Rhodiginus. [5] De vinis & poculis coronatis Taubmannus [6] Polydor. Virgilius [7] Ren. Laurentius [8] Turnebus, [9] ad quæ etiam reſpicit Palladas [10] Euripides [11] Athenæus. [12] De ferculis coronatis ha-

tis habet Casalius. [13] De coronarum autem usu multiplici in conviviis ex professo agit Stuckius, [14] de ebrietatis corona Barthius. [15.

(1. Argent.I. Ἀνθολ. XLVI. 2. (2. Euripid. εἰδυλλ. ζ. v. 63 64, 65. (3. Barl, *ad Hesiod. Theogen. v. 65.* (4. Mend. L. VIII. *Viridar. Decad.* IV. *Saturn. c. 4. p. 804.* (5. Rhodig. XIV. *Ant. Lect. 59.* (6. Taubm. *ad l. Æneid. v. 228.* (7. Pol. Virgil. II. *Rer. inv. 17.* (8. Laur. *ad* Tert. *de Cor. Mil. p. 360, 361.* (9. Turneb. XXI, *Adv. 13.* (10. Pallad. II. Ἀνθολ. XVII. 1. (11. Euripid. *in Cyclop. v. 389.* (12. Athenæ l. 1. *Dipnosoph.* (13. Casal. *Part. III. de Imp. & Urb. R. C. 19. p. 328.* (14. Stuck. *III. Antiq. Conviv. 16. p. 368. seqq.* (15. Barth. LVI. *Adversar. 7. pag. 2641.*

X,

Nec florum sertorum *in sepulcris* usus negligendus, quæ rosis, myrtô aliisque floribus coronata ex Anacreonte & Sophocle annotat Dalechampius; (1. Leonidas: (2.

Εἴαρι δὲ πρώτῳ λειμώνιον ἄνθος ἀμέρσα
Χωρίτης στεφέτω τύμβον ἐμὸν στεφάνῳ.

Sepul-

Sepulcrales quoque columnæ & ipſa cenotaphia coronis exornata ex Luciano & Xenophonte memorat Caſalius. (3. Plura de funeralibus coronis legere eſt apud Kirchmannum, (4. Paſchalium. (5.

(1. Dalech *ad Plin.*XXI,3. (2. Leonid. III. Ανθολ.XXVI,4. (3. Caſal. *Part. II. de* V. & I.R.C.21.p.353. 355. (4. Kirchm.I. *de Funer. Rom.* II. & IV. 3. Paſchal. IV. *Coron.* 5, 6. 7.

XI.

Facilè hunc locum dimitto, ſi quædam priùs *de Chriſtianorum Coronis* adjecero. Quàm rigido eas in Chriſtianis obeliſco notarint S.S.Patres, notum eſt, timentes ſcilicet, ne coronarum geſtatio nondum ſepultæ indicium idololatriæ in argumentum reſuſcitandæ verteret. Et Tertullianus quidem tum integro *de corona militis* libro, tum *in Apologetico* ea in re ſedulus eſt. Nec minori labore Minutius Felix *in Octavio* defungitur. Prudentii quoq; mens nemini obſcura eſſe poteſt ex invectiva in militem veteranum Chriſtianum. (1. Extat & in hanc rem eruditũ πρόβλημα Clemẽtis Alexandrini, (2. Ἐι μύροις καὶ στεφάνοις χρηστέον, cuj9 negativã piis ſatis tuetur rationib9. Graviter hac de re ſentit

etiam

etiam Afra Auguſtini eloquentia, citante Ren. Laurentio. [3] Uſi tamen coronis, ſed ob pias cauſas Chriſtiani; nam & mortuos εἰς ἀχλοήτου ἀμεριμνίας σύμβολον coronabant ut c. l. habet Cl. Alexandrinus; & neophytis ſerta ac coronas dabant de quibus Saubertus Filius; [4] in nuptiis etiam earum uſu retento, V. Maderus; [5] & ſi quæ alia in republica Chriſtiana coronarum mentio occurrit. Quo in loco illud non prætermittendum, quod coronas de violis, roſis & liliis *ad martyres* transtulerint Chriſtiani ſcriptores, quos eam in rem laudat VVeitzius, [6] Conf. Barthium. [7] imò & ipſam vitam æternam *coronæ* appellatione deſignaverint, obſervante eodem Barthio, [8] Qui & de Judæis, eodem loquendi genere utentibus. Quas verò nos Chriſtiani pro variis illis gentilium coronis, coronas habeamus, piè explicat Stucki9.[9]

(Prudent. *in Pſychomach. v. 353. ſeqq. ubi V. Weitzium p. 699.* [2] Cl. Alex. l. II *Pædagog. C. 8. p. 75.* [3] Auguſtin. T*om.* VIII. *in Pſ. 52. cit. R.* Laurentio *ad* T*ertull. cor. Mil. p. 357. in fin.* [4] Saubert. *in not. ad parentis ſui b. m. prodrom. Philol. S. p. 65. 66.* [5] Mader. *libell. de Coron. nupt. p. 44. ſeqq.* (6) VVeitz.

(6. VVeitz. *ad Prudent. p. 598.* (7. Barth. XXIII. *Adverſ.* 27. p. 1164, 1165. [8. Idem Barth. II. *Adv.* 2. p. 50. 51. [9. Stuck. *de Sacrif. p. 159.* b.

XII.

Sed hæc de coronis floreis protuliſſe ſufficiat. Multò plura, de his etiam, quæ dicta ſunt, dici potuiſſe, ut non facilè inficias iverim, ſic libenter ac ambabus conceſſerim; quo minus autem dicerentur, pagellæ reliquæ vetabant, quas huic unicè tractationi dicare ſine extrema tituli injuriâ atque adeò violatâ inſtituti ratione fieri non poterat. Sunt hactenus propoſita diverſa ab ἀνθοϐολίᾳ fateor, aliena ac peregrina non ſunt, quin bonam partem adeò cum ea conexa ut divelli ab illa non ſatis commode poſſint, quæ cauſa eſt, quod in ſequentibus coronarum ſæpius ac florum ſertorum cum ſolutis mixta, ut ita loquar, facienda mentio ſit. Cæterùm uberem pariter ac accuratam de coronis notitiam vix aliunde quam ex accuratiſſimo Caroli Paſchalii de Coronis opere decem libris elaboratô haurire eſt, quod undique exaſciatum, ut demorſos ſapere ungues dicamus, facilè honorifica magnorum de eo virorum judicia impetrant, & ſi

ullum aliud dignum certè, in quo recudendo typothetarum deſudet induſtria, Plantinianæ æmula, quæ eum Pariſiis Anno 1610. magno reipubl. literariæ emolumento primùm edidit: Tyleſii etiam, qui de eodem argumento extat, libellum citat Stuckius, (1) quem tamen nondum videre licuit.

(1) Stuck. III. *Antiquit. Convival, 16. pag. 373. b. in fin.*

TMEMA SECUNDUM

SUMMARIUM.

DE floribus ſolutis, eorumque ſparſione in gentilium ſacris variâ. Sparſi Dii Deæque. Emendatus eam in rem ex ment[e] Wouvveri Apulejus. Singulis Diis ſui dicati flores: Aræ ſparſæ. Majumæ feſtum. Sparſionis, ut ita dicam, ſacræ reliquiæ adhuc dum in Indis. Ἀνθοβολία καὶ φυλλοβολία *in vivos videntesque inſtituta. Ea vel publica vel privata. Utriusque tractatio.* Προχύται. Ἄνθημα *ſaltationis genus.* Ἐρῶντες μήλοις καὶ ῥόδοις. *Heinſii de iis ſententia in dubium vocata. Locus Cantic. II. 5. Poetarum noſtri ſeculi alluſio ad hanc florum ſparſionem. In floribus jacere.*

I.

Fuit hactenus de ſertis floribus, nunc a[d] *ſolu-*

solutos eorumque sparsionem. Expedienda hîc primo loco ea est, quæ in sacris recepta & usitata, qualis in Deos Deorumq; honorem institutæ meminere veteres. Elegans est Apuleji locus, supra quoque Tmem. 1. θ. 2 memoratus, ubi inducit Gratias & Horas. quæ *jaculis floris serti & soluti Deam suam* [Venerem] *propitiantes, scitissimum construxerunt chorum, Dominæ voluptatum veris dono blandientes*; sic enim scitè admodum corrigit Wouwerius (1) & *veris donum* explicat flores, qui veris donum & munus. Veneri aliàs familiares flores in sacris, quale illud 1. Calend. April celebrari solitum in Calendario Veteri quod recitat Dempsterus. (2) In pompa Isidis describenda occupatus dictus Apulejus (3) ait: *Mulieres candido splendentes amicimine*, verno *florentes* coronamine, *quæ de gremio per viam, quà sacri incedebant comitatus, solum* sternebant flosculis. De Segestanorum Diana Cicero: (4) *Quid hoc tota Sicilia est clarius? quàm omnes Segestanas matronas & virgines convenisse, cùm Diana exportaretur ex oppido? unxisse unguentis? complesse coronis ac* floribus. Certè Chloe & Daphnis apud Longũ Soph. (5) ἐκ νομῆς ἀνιόντες προσεκύνουν καὶ πάντως τὸν ἀπέφερον ἢ ἄνθος, ἢ ὀπώ-

ἢ φυλλίδα χλωζαν, ἢ γάλακτ☉ σπονδὴν, ex quo floribus institutam libationem non obscurè colligas. Idem Longus (6. introducit Nympham exprobrantem Daphnidi & Chloe, quòd Pana floribus non honoraverint, ὃν ait, ὑμεῖς ἐδέποτε ἐδὲ ἄνθεσιν ἐτιμήσατε, quanquam Paschalius (7) ἄνθη hoc loco de coronis explicet, quas nudorum florum mentione factâ sæpe intelligunt authores, ut c. l. probat.

(1. Wouw. *ad Apulej*. p. 694. (2.) Dempst. *ad Rosin*. iv. p. 546. (3. Apulej. l. xi. *Asin. aur*. pag. 417. (4. Cic. *Orat*. ix. *in Verr*. (5. Long. Soph. I. ποιμεν. p. 46. (6. Id Long. II. ποιμ. p. 68. (7. Paschal. II. *Coronar*. 13. p. 115.

II.

Suos etiam flores *Deabus maximè dicatos* fuisse; ex quibus deinde in sacris earum sparsio adornaretur, constat. Hinc Cometa Chartularius (1)

ἄνθεα ποίων

Εἰσὶ θεῶν. Ἥρης καὶ ῥοδίης Παφίης.

Et apud Leonidam (2) Biton Nymphis attribuit

σκιερῆς εὐποίκιλον ἄνθ☉ ὀπώρης

φύλλα τε πεπταμένων αἱματόεντα ῥόδων.

Qui-

Quibus ipſis lilia quoque candida propria erant, Pontanus. (3) Buxum in Cythorum portare videar, ſi operoſus hic ſim. Ad alia itaque.

(1. Com. Chart. IV. Ανθολ. XXX. I. (2 Leon. VI. Ανθολ. VII. 10. (3. Pontan. III. *Progymn.* 20. p. 572.

III.

Flores etiam per *Deorum aras* ſparſas ex Statio (1. liquet:

Semper odoratis ſpirabunt floribus *aræ.*

Confer Chokierum. (2. Appoſitè imitatus eſt elegantiſſimus, politiſſimus & nunquam ſine laude nominandus Barclajus, (3. [liceat Freinshemii (4. & Bœcleri (5. verbis uti] quique, judice Ruperto (6. in novitio argumento religiones antiquas ſubtiliter exprimit: [nihil enim moror auſteros nonnullos, & inter eos Scioppium (7. ad homines irridendos natum] Ille inquam appoſitè, ut alia omnia, tranſtulit his verbis:

Nam quem de ſuperis colemus omnes?
Cui plus floribus *intumeſcat ara?*

Et aliàs quoque in ſacris ipſis florum ſparſio variè adhibita fuit. Narrat Pauſanias (8, de Sicyoniis, quòd ille Deabus, ἃς Ἀθηναῖοι Σεμνὰς, Σικυώνιοι δὲ Εὐμενίδας ὀνομά-

ζουσι, κατὰ δὲ ἔτος ἕκαστον ἑορτὴν ἡμέραν μίαν ἄγουσι, θύοντες πρόβατα ἐγκύμονα μελικράτῳ δὲ σπονδῇ καὶ ἄνθεσιν ἀντὶ στεφάνων χρῆσθαι νομίζουσι, cujus ipsius moris ex Pausania meminerũt Cæl. Rhodiginus (9. & Salmas. (10. De Ἀνθισφορίοις Proserpinæ & Ἀνθεστηρίοις Bacchi res abundè ex Cl. Meursii Græcia Feriata nota. Quò celebre illud *Majuma festum* (de qua & Codice Theodosiano & Justinianæo lex peculiaris extat) referendum est, seu eos audias; qui illô Calendis Maji celebrari solitò puellam quandam pretiòsis indutam vestibus, currui frondibus ac *floribus* referto imponi, & Reginam vocitari solitam asserunt; seu eos admittas, qui ludum exponunt, hodieque frondibus ac *floribus* celebratum, originem Romanorum Floralibus debentem, qua de re prolixè Dilherrus ,(11 & concisius Calvinus (12) Chokierus (13 agunt. De *Genio* penè oblitus fueram, debebam enim supra meminisse, eum, cum null ipsi facerent hostiâ, de quo Alex. ab Alexandro, (14) Scaliger pater, (15) Barthius, (16 inter alia *floribus* etiam piatum, ut ex Horatio (17) habet Turnebus, (18) Gryphiander (18) aliique multi. V. omninò Dempsteru (20) Dilherrus. (21)

(1) Stat. l. III. *Sylv.* IV. (2) Chok. II. *Fa Histo*

Histor..5p.201. (3) Barcl. l. V. *Argen*.p.567. (4) Freinsh.*ad Flor*.l.xiv. 4.& III. xiii.7. (5) Boecl. *Dissert. Acad*.III.p.163. Conf. *Diss*. xiii,p.558. (6) Rupert.*Obs.ad Val.Max*.l. I.p.58. (7) Casp.Sciopp. *de Rhet. Exerc. gener*.p.20. (8) Paus. *in Corinth*.p.m.42. *Edit. Ald.Manut*. (9) Rhodig. vii. *Lect. Antiq*. *11*. (10) Salmas. *in Epist.ad Menag*. p.51.(11 Dilherr.T*om. II*. *Disp. Acad*. vi. *Exerc. I*. (12) Calvin.*Lex.Jurid*.v.*Majum*.p.m. 555. b. (13) Chok. I. *Fac. Histor*.56. p.126.127. (14) Alex. ab Alex.11.*gen.dier*.22. (15) Scal. III.*Poëtic*.102.p.394. (16) Barth.xviii.*Adv* 14.p.920. (17) Hor.II.*Epist*.1. p.m. 254. Ed. Bond. (18.) Turneb. xxvi. *Adv*.24. (19) Gryph. de Ἐυθανασία *Dissert*.II. n. 87. p.132. (20) Dempst. *ad Ros*.II.14. p.348. (21) Dilherr. T.I.*Disp. Acad*.xiv. θ. 1,p.427.seqq.

IV.

Idololatriæ hactenus enarratæ reliquias in *Indis* nostrorum temporum adhuc superesse nullus dubito; ut enim ab antiquis illis ipsâ haud differunt superstitione, sic harmonico in idololatria adornanda cum iis conspirant concentu. Sistit certè I*ndorum sacellum* Pimerus Jesuita apud Just. Heurnium (1) *multis rosis odoriferis elegantissimisq; floribus ita exornatum ut cœlum videretur*; deq;

Chinensibus elegantia sunt! quæ memorat Maphæus: (2. *Festô novi anni*, ait, *parietes fornicesque viridi fronde, micantibus rosis & pretiosô peristromate vestiuntur, flagrant odoramentis ac* floribus *viæ, accensis funalibus ac laternis.*

(1. Just. Heurn. *de legat. Ind.* C. VIII.
(2. Maphæ. l. VI. *Hist. Indor.*

V.

Nunc ad specialissimè dictā talem Ἀνθοβολίαν καὶ φυλλοβολίαν descendamus necesse erit, in homines *vivos* partim ac videntes; partim *mortuos* institui solitam. Eam, quæ *in vivos* adornabatur, haud incommodè distinxeris in *publicam*, festam mage, famosam ac solennem; & in *privatam*, ac minus solennem quidem, nihilominus tamen eam; è qua non exigui in honorandum redundarent honores. Dixi itaque *minus famosam* cum publica illa, omniumque maximè famosa conferendam, quâ publicô mandatô, unanimique consensu ac voto, viæ, per quas honorandus incessurus erat, ἄνθει καὶ χλόῃ conspergebantur. Illustre, si ullum exemplum, est in Alexandro Magno, cui Babyloniam ingressuro, *Bagophanes totum iter* floribus *coronisque* constraverat, narrante Cur-

Curtio, (1. ad quem morem hunc Persis familiarem norat Freinshemius, confer Ursinum. (2. Romanis non minus inusitatam eam fuisse consuetudinem ex adducendis constabit. Triumphantes Imperatores illi eò honoris genere mactabant, ut per vias, quas ingressuri erant, rosas aliosque spargerent flores, quale de subjugatâ Germaniâ, triumphante Druso narrat Ovidius, (3. & præ aliis eum morem explicat Johan. Bapt. Casalius. (4. Adde de *Imperatoribus Romanis*, queis vel nuper in id fastigium evectis, vel urbem intrantibus, vel quamvis aliam denique ob causam, eò favoris, amoris ac benevolentiæ indiciô cives non defuerunt. De Pompejo M. Plutarchus (5) πολλοὶ στεφανηφοροῦντες ὑπὸ λαμπάδων ἐδέχοντο καὶ παρέπεμπον ἀνθοβολούμενον. Sic de Vitellio Tacitus (6. memorat, quòd in ejus honorem viam lauri & *rosis* constraverint Cremonenses. De Juliano novo Imperatore Marcellinus, (7. eum à militari & omnis generis turba, cũ *lumine multo ac floribꝰ votisque faustis* Augustum appellatum, & ductum in Regiam, Et Heliogabalum ad maximum in suburbano templum Deorum suorum simulacrum deducentem

præcedunt cives Romani cum facibus, δαδουχίας καὶ ἀνθέων προπομπεύοντες, apud Johannem Antiochenum. (8) De Commodi Imperatoris adventu in urbem Herodianus: (9) τοιοῦτον δὲ θεασάμενοι, τὸν βασιλέα οἱ Ῥωμαῖοι εὐφημίαις τε παντοδαπαῖς καὶ στεφάνων καὶ ἀνθέων βολαῖς ὑπεδέχοντο. Corippi (10) etiam omittenda non ſunt, quæ habet de Juſtiniano:

— — — *nemus omne refertum*
Frugibus & glaucæ frondes rapiuntur olivæ;

Ubi *nemus refertum frugibus* ſunt rami arborum, cum ipſis frugibus avulſi, ut ſtudium honoris Juſtiniano collati indicet pleniùs, loquente Barthio; (11) id quod majus ἀνθοβολίας noſtræ incrementum & augmentum oppidò indicat, ſi eò veteres deveniſſe intelligas, ut nudâ ac ſolâ florum ſparſione non contenti, pendulos etiam arborum cum ipſis fructibus ramos decerperent, ſpargerentque; quô modô illa in Chriſti honorem στοιβάδων inſtituta ſparſio capienda, cujus mentio Marc. XI. 8. Matth. XXI. 8. de qua ſequenti Tmemate pluribus. Hactenus de publica ſparſione, in cujus recitatis exemplis ut ſparſionem privatam vix admiſerim, ſic illam quam dixi, publicam præcelluiſſe ac primas tenuiſſe aſſer-

asseruerim; nec enim aliud tantorum, in quo positi erant, virorum fastigium suadere videtur. Nec negligenda hôc locò est illa ἀνθοβολία, quam in ludis Græcorum usitatam colligere manifestè est ex Clemente Alexandrino: (12) Ἐν δὲ τοῖς ἀγῶσι πρῶτον ἡ τῶν ἀθλητῶν δόσις ἦν. δεύτερον δὲ ὁ ἐπιγερμός. Τρίτον ἡ φυλλοβολία. τελευταῖον ὁ στέφανος. Quæ verba, ut ea ex Friderici Sylburgii viri de Græcis literis meritissimi editione recitavi, eleganter illustrat & corrigit Casaubonus (13) ἄθλων pro ἀθλητῶν substituendo, ut explodere hac ratione meritò possis Paschalium (14) qui δόσιν exponit de virga è palma, quæ Athletis prius donabatur quàm coronæ.

[1. Curt. l. V. c. 1. n. 20. [2. Ursin. *Acerr. Phil.* l. IV. n 28. [3. Ovid IV. *Trist. Eleg.* 2 [4. Casal. *de Vrb. & Imp. R, part. 2. c. 1.* [5. Plutarch, *in Pompej. M. Oper.* p. m. 694. [6. Tacit. II. *Histor.* 70. 3. [7. Marcellin. l. XXI. p. 189. *Ed. Henr. Vales.* [8. Joh. Anton. *Excerpt. Peiresc. p. 829.* [9. Herodian. l. 1. [10, Coripp. l. III. v. 64. [11. Barth, XLVI. *Adv.* 15. p. 2185. [12. Clem. Alex. II. *Pædag.* 8. p. 78. [13. Casaubonus *ad Sueton. Neron.* c. XXV. p. 492. 493. [14. Paschal. VI. *Coron.* 22. *p.* 415.

VI.

Privata illa *sparsio*, quo frequentior usitatiorque, eo plura etiam ejus occurrunt exempla, hic non cumulanda, cum abundè notata sint à Lipsio, (1. Ludovico d' Orleans. (2. Bernartio, (3. Freinshemio, (4. Barthio, (Buchnero, (6. Ursino, (7.) Caussino. (8. Notavit morem quoque Scholiastes Pindari: (9. ἰστέον ait, ὅτι τὸ παλαιὸν ἐφυλλοβόλουν τοῖς τῆς γῆς χλωροῖς. Ascribo, & quæ de Aristomene, eô honoris genere affectô habet Pausanias: (10. Ἀριστομένει δὲ ὡς ἀνέστρεψεν εἰς τὴν Ἀνδανίαν ταινίαις αἱ γυναῖκες καὶ τὰ ὡραῖα ἐπιβάλλουσαι τῶν ἀνθρώπων ἐπέλεγον ᾆσμα: & de Curione Plutarchus, (11, quòd λαμπρὸς ὑπὸ χαρᾶς εἰς τὸν δῆμον ἐξήλατο κρότῳ καὶ βολαῖς στεφάνων καὶ ἀνθῶν δεξαμένων αὐτὸν, unde colligas etiam, κρότον seu voces acclamantium & applaudentium ἀνθοβολίας actum concomitari solitas. Nec de Diagora Rhodio prætereo, quod est apud A. Gellium an Agellium, (12. in eum à populo gratulabundo *flores* undique conjectos, cùm tres filios adolescentes vidisset vincere & coronari eôdem Olympiæ die; qui idem (13. & de leone, quòd se fidelem Androdo Achaten

ten exhibuisset, narrat ex Appionis Ægyptiacis eum *floribus* sparsum. De rosæ sparsione publicæ lætitiæ indice ex Stesichoro & Lucretio Paschalius: (14. A quibus, quantum inhumanitas & crudelitas Heliogabali dissideat, cuivis facilè liquere potest: *Oppressis* ille *in tricliniis versatilibus parasitos suos violis & floribus, sicut animam aliqui efflaverint, quum eripi ad summum non possent*, authore Lampridio. (15. Sed ad rem. Προχύται florum illa fructuumque sparsio dicebatur, observantibus Grammaticis ex illo Plutarchi in Dione: Καὶ καθ' ἃς γένοιτο, προχύταις τε βαλλόντων: aliàs quoque Ἀνθοβολία καὶ φυλλοβολία proprio nomine dicta.

(1. Lips. *ad* l. XIV. *Ann.* Tac. n. 146. (2. D'Orleans *Nov. Cogit. in Tacit.* p. 762, 763. (3. Bernart. *ad V. Sylv. Stat.* v. 259. (4. Freinsh. *ad Flor. II.* 7. 14. (5. Barth. XLIII. *Adv.* 9. p. 1562. (6. Buchn. *ad Venant. Hymn. de Resurr. Dom.* p 29. Ursin. *Dendr. Sacr.* C. II. *Obs.* 25. (8. Causin. *not. ad Clem. Alex. Hierogl. quæ additæ sunt Observationibus ejusd. ad Hor. Apoll.* (9.) Scholiast. Pind. *in Pyth. Od.* IV, (10. Pausan. *Messen.* p. m. 99. (11. Plutarch. *in Pom-*

Pompej. pag. 650. (12. Gell. III. *Noct. Attic.* 15. (13. Id. Gell. V. *Noct. Attic. 14. in fin.* (14. Paſchal. III. *Coron.* 5. p. 149. (15. Lamprid. *in Heliogab. C. xxi.*

VII.

Ex hac quam toties dixi florum ſparſione, intelligendam puto ſaltationem illam idiotis uſitatam, ἄνθημα dictam, ubi ſaltantes præter apium, roſas & violas poſcebant, his verbis: Πῦ μοι τὰ ῥόδα, πῦ μοι τὰ ἴα, πῦ μοι τὰ σέλινα, teſte Athenæo, [1. ut ſcilicet mutuâ ſparſione ſe oblectarent & recrearent ſaltantes: Sicut aliàs quoque gemina ſuperioribus erat ἀνθεμώδης τιμὴ τῶν ἐρωμένων, μήλῳ καὶ ῥόδοις ἀλλήλυς ἐρώντων, cujus rei in veterum ἐρωτικοῖς frequens mentio. Nec uſque adeò facilè in Heinſii (2. mentem manibus, quod ajunt, pedibusque eundum exiſtimo, qui illud μήλοις καὶ ῥόδοις ἐρᾷν de vulgariter amantibus interpretatur, emendatô hanc in rem Theocritô. Ex eo certè quod Veneri σπείροντι καὶ διδόντι ἔρωτα, atq; adeò amoris præſidi poma ac roſæ apud eundem Theocritum voventur, non obſcurè quis colligat impenſum ac immenſum amorem, quo μῆλα καὶ ῥόδα διδόντες ſeſe proſequebantur. Verba prædicti Theocriti hæc ſunt: (3) χρύ-

Χρύσεοι ἀμφότεροι κ' ἀνακείμεθα τῇ Ἀφροδίτᾳ
Τὼς αὐλώς μεν ἔχοισα κ' ἢ ῥόδον ἢ τύγε μᾶλον

Quod votum Veneri cum Bombyce sua facit Battus, si Crœsi divitias adipisceretur. Quæ ἐρωτομανία inter Daphnin & Chloen fuerit, ex Longi Sophistæ ποιμενικοῖς notum est, nihilominus tamen ille ipse (4) eos sistit μήλοις ἀλλήλες βάλλοντας, & alibi (5) narrat de μεγάλῳ καὶ καλῷ μήλῳ quo Daphnis desponsatam jam sibi Chloen donaverit. Ecclesia etiam de sponsi sui Christi amore tripudians, sic exultabunda loquitur Cantic. II. 5. Er erqvicket mich mit Blumen / und labet mich mit Aepffeln / vertente Luthero ὁμοψήφῳ fermè Vulgatæ, nisi quòd hæc ad intima & pia sponsæ desideria referat, secuta fontem Hebr. LXX. Sed judicent de his alii:

Queîs de meliore luto finxit præcordia
Titan.

Aliàs vino quoque ἐπίχυσις in honorem τῶν ἐρωμένων instituta, de quo Casaubonus. (6

[1] Athenæ l. XIV. *Dipnos.* [2] Heins. *Lect. Theocrit. C.* XVII. p. 353. [3] Theocrit. *Idyll.* I. v. 33. 34. [4] Long. Soph. l, I. ποιμ. p. 25. [5] Id. Long. l. III. ποιμ. p. 136. seq. [6] Casaubonus X. *Animadvers. in Athenæ* 7. pag. 722.

VIII

VIII.

Obiter, antequam hinc abeo, moneo (exempla enim & frequentia sunt, & à studioso harum rerum lectore copiosè satis observabuntur) de nostrorum temporum Poëtis, solitum iis ac familiare esse, ad hanc sparsionem sæpe allusionem instituere. Geminum jam de Salvatore nostro JESU Christo exemplum produxisse satis sit, quorum alterum è Latio ac media Italia petitum ex Sannazario est, (1. sic Jordanem Christum excepturum Napæas inter alia alloquentem introducente:

Purpureas miscete rosas; *miscete* hyacinthos
Liliaque *& pulcrô Regem conspergite nimbo.*

Alterum nostræ majestatem vernaculæ præ se ferens, Pauli Gerhardi de nascente Christo sic insonat:

Nehmt weg das Stroh nehmt weg das (Heu
Ich will mir Blumen holen/
Das meines Heylands Lager sey
Auff Kräntzen und Violen/
Mit Rosen/ Nelcken/ Roßmarin
Aus schönen Garten will ich Ihn
Von oben her bestreuen.

Quibus

Quibus eleganter etiam ad veterum alludit opinionem, qui ſummam arbitrabantur voluptatem *in roſis jacere* , id quod ex variis authoribus illuſtratum dedit Barthius, (2. & de Neronis cænationibus index eſt Suetonius (3. emendatus à Turnebo, (4. hucque referri etiam debet illud ſupra th. VI. ex Lampridio de Heliogabalo adductum; Confer Paſchalium. (5.

[1. Sannaz. lib. III. *de* Part. *Virgin.* [2. Barth. LVIII. *Adv.* 16. p. 2757. [3. Suet. *Neron.* C. XXXI. [4. Turneb. XXVI. *Adv*, 6. [5. Paſchal. III. *Coron.* 4. p. 145. & C. 6. pag. 151.

TMEMA TERTIUM

SUMMARIUM.

Digreſſio de ὀσχοφορία *Ethnicorum.* Ὀσχοφόροι. Θαλλοφόροι. Δενδροφορία. *Sui Diis in ſacris rami.* Ὀσχοφορία *è Judæorum Scenopegiis per Diaboli* κακοζηλίαν *transportata.* Ὀσχοφορία *Judæorum.* Εἰρεσιώνη. *Hoſannoth,* Ὡσαννὰ τῷ υἱῷ τοῦ Δαβίδ. *Ramorum in feſtis Judæorum uſus. Verſio Lutheri Pſalm. CXVIII. 27. Palmæ ſori-*

foribus affixæ. Palma lemniscata. Regressio ac ἀνθοβολίαν, quæ in statuas & imagines etiam instituta, in quas ipsas in contumeliam lutum & lapides sparsi. Λιθοβολία ἀντὶ τῆς ἀνθοβολίας in dedecore afficiendum adornatæ. Lapidum jactus ad avertenda pericula. Ἑρμαῖοι λόφοι.

I,

Liceat hîc occasione moris, hactenus enarrato sicut lac lacti aut ovum ovo similis, paulisper excurrere & digredi. Dixi hactenus pro re nata de florum sparsionibus in honore afficiendos receptis, dicam jam de ὀσχοφορίᾳ βαϊοφορίᾳ καὶ κραδηφορίᾳ. Rami itaque iis exhibebantur aut præferebantur, quos insigni omnium favore honestatos significare volebant, quem morem latius explicant Nic. Caussinus (1) & Joh. H. Ursinus (2). Mutuati sunt id genus honoris à Baccho, in cujus honorem Athenienses festô die ei rei dicatô ὄσχους seu ἰλίκους, ἕλικας, κλήματα καὶ κλάδους τῆς ἀμπέλου præferebant, unde ὀσχοφόροι dicti παῖδες ἀμφιθαλεῖς, λαμβάνοντες κλήματα ἀμπέλου ἐκ τοῦ ἱεροῦ τοῦ Διονύσου ἔτρεχον εἰς τὸ τῆς Σκιῤῥάδος Ἀθηνᾶς ἱερὸν, ut ex interprete Nicandri citant Grammatici: & ὀσχοφορία ipsum festum de quo Aristodemus apud

pud Athenæum. (3. Hesychiꝰ & Alciphron pud Barthium. (4. confer Natalem Comiem, Chokierum. (6. Parum hic absunt eoundem Atheniensiũ θαλλοφόροι, ramos λευκοςεφεῖς in Panathenaica pompa ferentes de quibus Paschalius (7. Δενδροφορίαν de Musis, Cerere & Baccho meminit Strabo: (8.) Δενδροφορίαι, inquit, καὶ χορεῖαι καὶ τελεταὶ κοιναὶ τῶν θεῶν εἰσὶ τούτων ubi δενδροφορίας *ramorum gestationes* interpretatur Casaubonꝰ, & in notis cum hac, quam dixi, Atheniensiũ ὀσχοφορία confert. Sic scil. δεισιδαίμονες illi putabant, se nõ satis sacris defunctos, ni ut certas arbores Diis suis dicaverant, sic & earũ ramis in sacrificiis uterentur; unde Guil. Stuckius (9. monet, gentiles ad ignem sacrificiorum adhibuisse ligna ex iis potissimum arboribus, quæ Diis quibus rem divinam faciebant, erant dicatæ: Itaq; cum Baccho inter alias arbores thyrsus, vitis & abies sacræ essent, earum ramos ei in sacris præferebant, quin & iis delubra & aras exornabant. Long. Sophista. (10. περιεῖχε τὸν μὲν βωμὸν κιττὸς, τὸν νεὼν δὲ κλήματα.

(1.) Caussin. *ad Clem. Alex. Hierogl.* (2) Ursin. *Arbor. Bibl.* c. II. (3) Athenæ l. xi. *Dipnosoph.* pag. m. 202. v. πενταπλόα.

(4. Barth. III. *Adv.* 17. p.142. [5. Nat Com. IV. *Mythol.* 13. p.490.. (6. Chok. II. *Fac. histor.* 59. p. 296. (7. Paschal, IV. *Coron.* 12, p. 243. & VII *Coron.* 16. p.393, (8 Strab. l. X. *Geogr.* p,322. (9. Stuck.. *de sacrif.* p.m(103. *a.* (50. Long. Soph. l. IV. ποιμ. pag. 143.

II.

Qua in re, si in ulla alia, nefanda sanè Diaboli elucescit κακοζηλία καὶ θεομαχία, dum, quem vero Deo proprium exhibeant honorem Judæi, ad seipsum violentô raptu transtulit. [In Scenopegiorum certè festo celebrando jussi erant Israelitæ Levit. XXIII. 40. λαμβάνειν καρπὸν ξύλου ὡραῖον καὶ κάλλυνθρα φοινίκων καὶ κλάδους ξύλου δασεῖς, καὶ ἰτέας καὶ ἄγνου κλάδους, ut LXX vertunt, & Nehem. VIII, 15. itidem jubentur ἐνέγκειν φύλλα ἐλαίας καὶ φύλλα ξύλων κυπαρισσίνων καὶ φύλλα μυρσίνης, καὶ φύλλα φοινίκων, καὶ φύλλα ξύλου δασέως ποιῆσαι σκηνὰς κατὰ τὸ γεγραμμένον. Habes de tabernaculis è frondibus extructis, more etiamnum apud Judæos, teste Buxtorfio (1. in tabernaculorum festo cum iisdem ramorum speciebus in Levitico præscriptis, superstitiosè obtinente. (2. Buxtorff. *Synagog. Judaic.* C. XVI. p.324. 331. 332.

III. De

III.

De ipsa autem in sacrificis usitata ὀχοφορία disertè meminit Josephus, (1. dum Judæos in festo Tabernaculorum victimas Deo incendere scribit, & simul pro gratiarũ actione sacrificare ἐν ταῖς χερσὶν φέροντας εἰρεσιώνην μυρσίνης καὶ ἰτέας, σὺν κράδι φοίνικος πεποιημένην, τῶ μήλω τῶ τῆς περσέας προσόντος. Ε'ιρεσιώνην autem Grammatici ex Aristophane interpretantur ramum oleaginum, lanâ obvolutum, arborum circumpendentibus fructibus, in honorem Apollinis ante fores ædium suspendi solitum, ut ex oraculi jussu famem arceret. V. omninò Paschalius (2. de origine Ε'ιρεσιώνης & superstitionibus circa eam variis eleganter disserens. Quod εἰρεσιώνην Græc. exprimit Josephus, Judæi הושענות vel הושיעהנא vocabant, cujus ὀνοματολογίας rationem reddit vir Cl. Thomas Reinesius; (3. τεχνικὴ enim solùm hac in re vocis hujus significatio est, non propria & nativa, quam contra Baronium explicatam legere est apud Casaubonum, (4. Confer Glassium. (5. Ex quo facilè dijudicare licet ὡσαννὰ illud Christo Hierosolymas introeunti à populo acclamatum, Matth. XXI, 9. Marc. XI, 9. Joh.

Joh. XII, 13. quod de ὀχοφορίᾳ explicant eruditi, ita, ut ὡσαννὰ τῷ Θεῷ τοῦ Δαβίδ idem ſit quod ὄχος τῷ υἱῷ τοῦ Δαβίδ, ut ex Joſephi Scaligeri Animadv. Euſeb. explicat Chriſt. Becmannus, (6) velut diſſertius antea laudatus Caſaubonus: *Hæc baia ſive termites palmæ oleæve aut ſalicis altaſque arboris frondes in honorem filii David videlicet* φέρομεν καὶ πάλλομεν. Quem tamen audire non vult Heinſius, (7) dum αἴσακον hunc ramum Hoſanna vocatum contendit, & αἰσάκου ἔτυμον ex Syria arceſſit. Moralis, mage ac myſtica explicatio eſt Joh. Bapt Caſalii, (8) nec ſatisfacit, dum Judæos morem illum per Pompejum devictos accepiſſe aſtruere videtur. Eleganter etiam ii, ſed ab illo, quem nos jam intendimus, ſcopo alieni qui ad R. הושיע reſpicientes ὡσαννὰ per σῶσον exponunt, de quo inter alios v. Heinſium. (9)

[1] Joſeph. II. *Antiq. Jud.* 10. [2] Paſchal. V. *Coronar.* 15. p. 332. 333. [3] Reineſ. *Epiſt. ad Vitum Wolfr.* 15, *Jan*, A. 1626. *ſcriptâ*. [4] Caſaubon.. *Exercit.* XVI. *ad Baron. Ann.* 34. *n.* 5. *p.* 321. [5] Glaſſ. *Grammat. Sacr. l. III. Tr.* 6. *Can.* 1. *p.* 634. [6] Becm. *Orig. v. Hoſanna.* [7] Heinſ. IV. *Exercit. ſacr.* 8. *p.* 234. [8] Caſal. *Part. II. de*

Vrb.

Vrb.& Imp.R.C.1.p.187.[9] Heinſ.I. *Exerc. Sacr.15.p.66.*

IV.

Aliàs quoq; *ramorum in ſolenni lætitia & diebus feſtis* apud Judæos uſus ex 1. Maccab XIII.51. conſtat ubi εἰσῆλθον εἰς τὰς ἄκρας ἐν Ἱερουσαλὴμ μετὰ αἰνέσεως καὶ βαΐων, & quæ alia lætitiæ indicia ibidem apponuntur. Hinc David Pſal.CXVIII.27. Schmücket das Feſt mit Meyen/biß an die Hörner des Altars/ vertente Luthero, recedentibus ob id ab eo, Calvinianis Hermeneutis, Tremellio, Junio, Piſcatore, Coppenio, Toſſano, Lutheranis etiam nonnullis, videſis Chriſtianum Matthiæ (1) & Glaſſium (2) qui ipſius Lutheri pro hac verſione ſua verba apologetica recitat.

[1.Chr.Matth.*Colleg.II. Antiphotin' Exerc. 2.Corollar.p.108.*(2) Glaſſ. *Rhetor. ſacr.* Tr. I.C.4.*n*,3 p.61.

V.

Ad alia ibo, ſi addidero ex Cauſſino, quẽ th. 1. hujus tmem. laudavi, & Caſaubono (1) veteres nec ramorum geſtationibus, nec florum ſparſionibus, illuſtriſſimis aliàs favoris & benevolentiæ ſignis contentos, *palmarum* etiam *ramos* ad inſignium fores virorum affigere ſolitos fuiſſe, præſertim oratorum ac cauſidicorum, victoriam in foro obtinentium, qua de re etiam videatur

Barthi-

Barthius, (2. Similiter & eximii Poet[...] *palmâ* donabantur *lemniscatâ* seu lemnisc[...] ornatâ, de quo Turnebus, (3. Scaliger fili9, (4. [qui idem de iis, qui in Agonibus Capitolinis vicerant, refert] Casaubonus, (5. Dalechampius ad Plinium, (6. in quo, ut & Festo *Lanisci* pro *Lemnisci* reponit Hieron. Magius, (7. Conf. Ursinum, (8. & præprimis Carolum Paschalium. (9.)

[1. Casaub. *ad Suet. Domit.* C. XXIII. p. 580. [Barth. XLIX. *Adv.* 7. p. 2293. [3. Turn. XVIII. *Adv.* 3. XXVI. 30. XXIX. 1. [4. Jos. Scal. 1. *Auson. lect.* 10. [5. Casaub. ad *Suet. Neron.* C. XXV. p. 494. [6. Plin. XX[...] *hist. nat.* 3. [7. Mag. II. *Miscell.* 17. [8. Ursin. *Arb. Bibl.* C. X. n. 9. [9. Paschal. II. *Coron.* 12. pag. 111, 112.

VI.

Sed hîc finis hujus excursûs esto, quem eò facilius veniam meriturum spero, quòd ipse devia agnoscens (in quæ tamen nec invitus nec imprudens delapsus sum) nunc justam planamque viam fidentiori remetior gradu. Nec enim superfluæ omnino ejusmodi digressiones habendæ sunt, dummodò, sicut in χρυσοῦν μίλιον Romæ omnes Italiæ viæ desinebant, sic hæ in præfixum competant scopum.

VII.

E diverticulo itaque in viam reverſus, abſolutâ ejus, quæ in vivos inſtituebatur, flo-um ſparſionis mentione, quem *ſtatuis* eti-m eorum, quibus benè volebant, hâc in re onorem fecerint, videndum eſt. Præter-uam enim, quod aureis, argenteis, aut æreis urô obductis amiculis ſtatuas ornarent. Wouwerius, (1) Dempſterus, [2) varieq; omptas eas exhiberent, non florum ſerto-um honore contenti eas affeciſſe, de quo Tmem. I. th. 6. ſolutorum quoque inſuper ddiderunt. Teſtis hujus imaginum ἀνθο-ϐολίας Tacitus: (3) *Octaviæ imagines ge-ſtant humeris*, ſpargunt floribus, *foro ac emplis ſtatuunt*. Extatque eum in mo-lum elegans Epigramma Callimachi, (4) uod Poeticâ donatum togâ recitat Mendo-a (5) de puero, ſtatuam novercæ demor-uæ floribus exornante, eamque ſtatuam ſu-itò corruentem puerum oppreſſum exani-nante.

(1) Wouvv. *ad Petronii p. 123.* (2) Demp-terus *ad* IX. *Roſin. pag. 1510.* (3) Tacit. XV. *Ann. 61. 1.* Callim. I. Ανθολογ. *L. 1. p. m. 147.*) Mend. l. VII. *Viridar. Dec. 4. Saturn. C. 10. pag. 811.*

VIII.

Approbavi morem ipsum ac honorem, qui eò relucescet illustrior, quò magis ignominiæ ac dedecoris tempestatem vereri coactus est. Scilicet, ut rem paucis comprehendam, lutô sæpe statuas earumque titulos conspergebant ac comaculabant, si quem πονηροῦ κόμματος esse & à se haberi significabant; quale optimo juveni Alexandro, filio suo adoptivo fieri voluit monstrum illud mundi Heliogabalus, narrante Lampridio. (1) De tota verò, quæ omnem hactenus paginam implevit, ἀνθοβολίᾳ quid dicam? Nimius sim, si omnia ignominiarum genera huc transferre animum induxerim. *Lapidum ejaculatio* ei quæ florum esse debebat, successit, si quem ignominiâ notatum volebant. Imaginum, de quibus simile modo dixi, ea contumelia fuit. Casaubonus. (2. In recitationibus quoque [de quibus apud Lipsium (3.) Raderu (4.) VVouvverium (5.) Heinsi (6.) legere est] mos invaluit, eos infect ri lapidibus, qui parum probè aut ad men tem audientium dixissent: Hinc *lapides* in Eumolpum recitantem mittuntur apu Petronium, (7. quam lapidationem

Roma-

Romanis alioqui non usitatam asserit Barthius. De lapidum missione in malos V. Aristophanem; (9. Conf. Marc. XII. 4. Sed ἀπέχω, ne ad lapidationis supplicium Judæis familiare delabar, video enim in Marco lapidationem pœnam capitalem, & quæ ipsam post se trahat mortem, explicare interpretes.

(1. Lamprid. *in Heliogab. C. XIII.* (2. Casaubon. *ad Suet. Calig. C. V. p. 408.* (3. Lips. *Centur. II. Epist. ad Belg. 48.* (4. Rader. *Comm. in Martial. l. X, Epigr. 69.* Confer *ad l. II. Epigr. 33.* (5. VVouvver. *Polymath. C. XVI. pag. 132.* (6. Heins. *Proleg. Aristarch. sacr. p. m. 642. 643.* (4. Petron. *Satyr. p. m. 103.* ubi V. VVouvv. (8. Barth. x. *Adv. 22. pag. 500.* (9. Aristophan. *in Acharnens. Act. II. Scen. 2.*

IX.

Non omnis tamen lapidum sparsio eō, quô dixi, modô contumeliosa fuit. Erat enim, quâ Deorum iram avertere conabantur, ut cum, si infaustum animal occurrisset, periculum se subterfugisse existimabant, quod infelix ille occursus conferre poterat, si id lapidibus petiissent & feriissent, quem morem ex Augustino & Dione Chrysostomo deducit Casaubonus;

(1) quem potiſſimum ex gentiliſmo morem in ſua transtuliſſe puto Mahumedem, dum lapidum retrorſum factâ jactione Diabolum à myſtis ſuis fugari voluit, V. Holmius. (2) Erant & ἑρμαῖοι λόφοι, cumuli lapidum, quos prætereuntes viatores in honorem Mercurii crebrâ lapidum emiſſione augebant, de quibus omnino videndi Seldenus, (3) Barthius, (4) Rupertus. (5) moris originem ad Cananæos referens: & nos (6) in antiquitatibus Biblicis.

(1) Caſaubonus *ad Theophr. Charact.* XVII. pag. 343. [2) Petr. Holm. *Theolog. Muhamm. Part.* III. *Art. 12. th. 1.* (3) Seld. *2. Deor. Syr. 15. pag. 350. ſeqq.* (4) Barth. IX. *Adv. 5. pag. 422. 423.* (5) Rupert. *Obſerv. ad Flor. l. I. C. 7. pag. 131. 132.* (6) *Part. III. Antiquit. Biblic. pag. 21. ſeqq.*



TME-

TMEMA QVARTUM

SUMMARIUM.

Sparsio funebris. Flores è terra ac tumulo in honorem vivorum ac mortuorum erumpentes. Ver perpetuum. Florum sparsio quadruplex: in feretro, in mortuis, in mortuorum statuis, in sepulcris, φυλλοβολίας hujus frequens usus. Ea *ex omnibus promiscuè instituta floribus, non solo apio, ut perperam voluit Baptista Pius. Apium Græcis in sepulturis familiare. Inferiæ floribus sparsæ, quod manes iis delectari crederent. ἀνθοβολίας hujus mos apud Christianos & finis. Patricius obscurè nimis ex ea humationem sub dio elicit. Nostri ævi poetæ huc alludentes. Ludovici Cortosii JCti Paduani impietas notatur.*

I.

Accingor nunc demum ad eam florum aſperginem, quam *in mortuos* receptam habebant veteres, amplô ſatis, ut illi quidem exiſtimabant, honore. Impetrabant hoc honorifica ad felicitatem eorum plus quàm humanam exprimendam aptata verba; de vivis ſcilicet ex illorum veſtigiis naſci flores,

ipsam quoq; terram sponte suâ in honorem eorum flores producere, de mortuis verò ex eorum tumulis suaveolentes quôscunque erumpere flores. Casaubonus ad illa Persii. (1)

Nunc non è tumulo *fortunataq; favilla*
Nascentur violæ.

& qui inde exscripsit, Taubmannus. (2) Hinc idem Persius (3) dum mulierçularum pro liberis & nepotibus suis vota precesque superstitiosas perstringit, ita ait:

Hunc optent generum Rex & Regina Puellæ
Hunc rapiant, quidquid calcaverit hic rosa fiat,

quibus verbis proverbii locô usus est Carolus Calvus Rex Francorum Epistolâ ad Hadrianum II. Papam expostulatoriâ, quam cum epistolis Hincmari Rhemensis (4) edidit Johannes Cordesius. Et Bion Smyrnæus (5) ex Adonidis ab apro occisi sanguine enatos flores ait:

— τὰ δὲ πάντα ποτὶ χθονὶ γίγνεται ἄνθη
Αἷμα ῥόδον τίκτει —

Id quod Barthius, (6) qui se integrum illud carmen annô ætatis decimô quartô Latinô itidem carmine transcripsisse ait, ita reddi-

reddidit:

Sanguine de roſeo roſa fit lacrymisque papaver
Omnia quæ mutat tellus miſerata laborum

Confer Paſchalium; [3] utque è tumulo Sophoclis naſcantur flores, vovet Simonides: [4.]

Ἠρέμ' ὑπὲρ τύμβοιο Σοφοκλέος ἠρέμα κισσὲ
Ἑρπύζοις χλοερὺς ἐκπροχέων πλοκάμυς.
Καὶ πέταλον πάντῃ θάλλοι ῥόδυ.

Philodemus: [9]

Φῦε κατὰ στήλης ἱερὴ κόνι τῷ Φιλοβάκχῳ
Μὴ βάθον ἀλλ' ἁπαλὰς λευκοΐων κάλυκας.

(1) Perſ. *Satyr.* I. verſ. 39. (Taubman. ad *Virg. Ecclog.* IV. v. 23. (3) Perſ. *Sat. II.* v. 37. (4) Hincmar. Rhemenſ. *oper. p.* 457. (5) Bion. Smyrn. *Idyll. 1.* 65. 66. (6) Barth. III. *Adverſ.* 8. *pag.* 123. (7) Paſchal. III. *Coron.* 6. *p.* 155. 156. (8) Simon. III. Ανθ. xxv. 59. Conf. *Epigr.* 40. 46. 48. 61. (9) Philod. III. Ανθ. XII. II.

II.

Ver itaque ſuis optabant *perpetuum*. Inde Juvenalis: (1.)

Dii majorum umbris tenuem & sine pon-
derc terram
Spirantesque crocos, & in urna perpetu-
um ver.

Quare hinc vulgi enatam opinionem puto viveremortuos in campis Elysiis in æterni rosis, atque in æterna vivere rosa summam ut voluptatem, sic felicitatem habere, quod satis pro more explicat Barthius. (2) Sed jam ad sparsionem ipsam.

(1) Juven. *Satyr.* VIII. vers. 208. (2) Barth. VI. *Advers.* 11. pag. 275. IX. *Adv.* 30. p. 456. XXXII. *Adv.* 21. pag. 1499.

III.

Quadruplicem eam potissimum invenio vel in *feretro* vel in *mortuis*, vel in *eorum statuis*, vel denique in ipsis *sepulcris*. De sparsione in feretro antiquissimum quod memini in historia Romana extat exemplum apud Dionysium Halicarnassæum (1) de funere Virginiæ; ubi sistuntur γυναῖκες καὶ παρθένοι τὸ πάθος ἀποδυρόμεναι, αἱ μὲν ἄνθη καὶ στεφάνους βάλλουσαι κατὰ τῆς κλίνης, αἱ δὲ τελαμῶνας ἢ μίτρας &c. Sparsionis in mortuos institutæ apud Suetonium (2) mentio his verbis: *Per idem tempus conditorium & corpus Magni*

Ale-

Alexandri cum prolatum è penetrali subjecisset oculis [Augustus] *coronâ aureâ imposità ac* floribus aspersis *veneratus est.* Ibi simul habes de tumulo. Sparsionis, quæ in defunctorum statua facta, quodammodo memini] Tmem. 3. th. 7. & pulcra extat historia apud Fulgentium (3) ex Diophanto Lacedæmonum authore memorata de Syrophane Ægyptio, tam acerbè mortem filii ferente, ut ejus simulacrum in ædibus statueret. *Universa*, ait Fulgentius, *familia in Domini adulationem aut coronas plectere, aut* flores inferre, *aut odoramenta simulacro succendere consueverat. Nonnulli etiam servorum culpabiles, Domini iuriam evitantes ad simulacrum profugi veniam merebantur, & quasi salutis certissimo collatori* florum *atque thuris offerebant munuscula.*

Dionys. Halicarn. l. XI. *Antiq. Rom.* (2) Sueton. *August.* c. XVIII. (3) Fulgent. l. I *Mythol. ab init. cap. unde idolum dicatur*

IV.

Sepulcralis autem illa sparsio & prædictis fuit receptior, & memoriâ authorum copiosior. Ante excisam Trojam vix ulla, aut nulla planè ejus mentio. Homerus certè,

utut tumulorum meminerit sparsionis non meminit, quod nemo magis mirari debet, quàm quod idem ne στεφάνων quidem καὶ τοῦ στεφανοῦσθαι in propria significatione mentionem faciat, observante Casaubono. (1. Primus ni fallor in historia ejus ævi Virgilius. (2. qui Æneam ad Anchisæ patris sepulcrum, purpureos jacentem flores introducit. Inde certatim hujus ἀνθοβολίας mentio apud Virgilium (3. aliàs, sed in historia Augusti:

Tu Marcellus eris, manibus date lilia *plenis*
Purpureos spargam flores,

quô versu auditô in animi deliquium incidisse Octaviam notatum alibi; (4) & in Græcis Poetis sæpe ac lapidibus antiquis, [nil enim hîc moror Bechererum, (5. lapidibus vetustis virorum linguæ & antiquitatum Romanarum peritorum industriâ erutis omnem derogantem fidem] qui quòtannis rosas ad monumentum defuncti deferri jubent, quale Drusi monumentum Ravennæ ex lapide prisco sistit Justus Lipsius; (6. nec enim putandum est, semel tantùm φυλλοβολίαν hanc institutam esse, sed sæpius, ac toties, quoties libuit; imò

ut

ut quotannis instituèretur, testamentô cautum ex veteribus marmoribus constat. Cæteroquin bis annô quàm commodissimè institui poterat, vernô & æstivô tempore, idque ἐαρινοῖς καὶ θερινοῖς ἄνθεσι, V. Casaubonum. (3) De ἐαρινοῖς seu vernis floribus prolixè admodum agit Paschali9.(8. qui evolvendus, æstivorum autem tractationem cur omiserit, conjectare non possum. Memorat utrosq; junctim Suetonius (9. de Nerone, cui non defuisse dicit, *qui per longum tempus* vernis æstivisque floribus tumulum *ejus ornarent*· Imò post aliquot demum seculorum intervalla, & Augustus Alexandri M. conditorium floribus exornavit, de quo anteà: & Antoninus Imperator [quamvis Alexandri M. nomen adsumens) Achillis, Johanne Antiocheno (10. teste.

[1. Casaubon. I. *in Athenæ*. 15 p. 45 [2. Virgil. *Æneid. V.* *v.* 79. [3.] Virgil. *Æneid.* VI. v. 884. [4.] *In Augusto Part. II. th. 6. p*, 137. [5. Beccherer. *Respons. ad Apolog. Becm.* c. XXXII. [6. Lips. *ad II. Ann. Tacit. n.* 17. [7. Casaub. *ad Sueton. Aug.* c. XXXI. p 183. [8. Pasch. III. *Coron.* 2. *in genere, & capp. seqq. in specie.* [9. Sueton. *Ner.* c. LVII. [10 Joh. Antioch. *in Excerpt. Peiresc. p.* 826.

V.

V.

Sparsio illa ex omnibus promiscuè instituebatur floribus, integris etiam sæpe arboribus, annotante Paschalio; (1) ut videre satis non possim, quæ causa fuerit Baptistæ Pio (2) impio aliarum rerum boni sui ingenii detortori, quo eum elogio Barthius (3) ornat, ut, cùm hanc mentem juvenis & eloquentiæ candidatus tenuisset, Plutarchi Timoleonte adductus mutaret eam, & quod de floribus dicunt authores, ad solum restringeret apium; quam illius opinionem *deliramentum* meritò vocat Hieronymus Magius, (4) [indignus certè vir, qui impuris Turcarum manibus strangularetur] & contrarium contra eundem accuratè evincit. Non enim nisi de solis Græcis loquitur Plutarchus, ut eum quoque exponit doctissimus Episcopus Levinus Tortentius, (5) & solis Græcis in funeralibus apium peculiare notant Hadrianus Junius (6) Alexander ab Alex. (7) Muretus (8) & alii.

[1. Car. Paschal. IV. *Coron.* 7. pag. 225. [2. Bapt. Pius *Annotat.* c. XV. [3. Barth. V. *Adv.* 10. p. 229. [4. Mag. II. *Miscellan.* 17 [5. Torrent. *ad Sueton. August.* c. 18. p. 105. [6. Jun. V. *Animadv.* 21. [7. Alexand, ab Alex.

Alex. v, *Genial.dier.* 8. [8. Muret. xvi. *Variar. lect.* 18.

VI.

Existimabant autem veteres, floribus ejusmodi semper vernantibus umbras & manes defunctorum quàm suavissimè affici, V. omninò Taubmannus: (1. unde in *inferiis* non solùm lac, mel, vinum, &c. fundebant, sed & *flores* spargebant, quam in rem elegantem ex Æschylo locum producit Turnebus. (2. Plura de funeralibus qui desiderat floribus, adeat Kirchmannum (3. Casalium. (4. Desiderium Heraldum. (5. Jacobum Pontanum. (6.

[1. Taubman. *ad Virg. Culic. v.* 408. [2. Turneb. iv. *Adv* 22. [3. Kirchm. iv. *Funer. Roman.* 2. [4. I. B. Casal. *Part. II. de Vrb. & Imp. Rom. C.XXI. pag.* 355. [5. Herald. I. *Adversar.* 6. [Pontan. iv. *Progymnasm.* 60. pag. 1123, 1124.

VII.

Christiani etiam tumulos floribus sparsis exornabant, ad immotam futuræ resurrectionis spem testificandam, quòd, sicut flores verno tempore redeant, sic nos quoque extremo die simus redituri. Hinc Prudentius: [1]

Nos tecta fovebimus ossa
Violis & fronde frequenti.

Colligas alium finem hujus Christianæ ἀνθοβολίας, ex verbis Cypriani, (2) Mosen & Maximum Presbyteros Romanos consolantis: *Successit hyemi verna temperies, rosis læta & floribus coronata, sed vobis rosæ & flores de paradisi deliciis aderant & caput vestrum serta cælestia coronant*; Beatitudinem scilicet æternam & gaudia cœlestia, quibus frueretur anima defuncti, hâc etiam sparsiône indigitare poterant Christiani V. multa S. S. P. P. loca apud Dilherrum, (3) quibus adde quæ ex Jotsaldo Monacho in funere Odilonis profert Brrthius. (4)

(1) Prudent. *Cathemerin. Hymn. X. v.* 177. 178. Confer *Peristeph. Hymn* IX. v. 200. (2) Cyprian. *Epist.* XVI. (3) Dilherr. *Tom. I. Disp. Academ.* XV. th. 3. n. 6. p. 461. & n. 23. p. 468. (4) Barth. IV. *Advers.* 18. p. 195.

VIII.

Illud hîc prætermittere non possum, nodum in scirpo, quod ajunt, quærere mihi videri Patricium, & qui eum laudat, Keckermannum. Verba Patricii apud Keckerm. (1) inter alia hæc sunt: *Nullum sepulturæ genus magis laudandum puto, quàm humationes*

tiones sub dio, ubi flores & herbæ nascuntur, cùm id in sepulcris vetustissimis inscriptum sit:

Sparge rosas, lector vel candida lilia pone.

Versum illum, *vetustissimis*, ut ait, *inscriptum sepulchris*, de sparsis loqui floribus, vel cæcus videat, quid ergo ille ad *humationes sub dio, ubi flores & herbæ nascuntur?* Fuit tempus, quo suis quisque in ædibus sepeliebatur, nec adeò officere potuerunt leges XII. tabularum, quin cineres virorum triumphalium, Imperatorum, summorum Ducum, Vestaliumque in foro conderentur, teste Turnebo. (2) Non video itaque, fateor, quid sibi velit hisce Patricius, quidque in iisdem ipsi reliquum sit pro humatione sub dio. Sed ad finem properandum est.

(1) Keckerman. *Disput. XXX. Curs. Philos. Problem.* 13. *pag.* 429. (2.) Turneb. ad l. II. *Cicer. de* LL. Tom. I. *Oper.* pag. 163.

IX.

Ad ἀνθοβολίαν hanc nostri Poetæ Epitaphia condentes sæpè collimant. Non opus multis rem pertexere. Monuisse sufficiat

ex

ex Scaligero Patre, [1. Pontani tumulorum libros univerſos penè conſtare verbis hiſce: *roſæ, violæ, lilia, hyacinthi* &c. Ad ver perpetuum alludit Sannazarius [2]

Heroum opacis qui ſub umbris arborum
Strati ac perenni flore *ſuffulti caput*
Ducunt quietem æternam, perpetuam,
optimam.

Ipſius prædicti Sannazarii tumulum hôc Epitaphiô ornavit Petrus Bembus Cardinalis:

Da ſacro cineri flores, *hic ille Maroni*
Sincerus Musâ proximus ut tumulô,

referente Paſchaſio Groſippo, vel ſi mavis Caſpare Scioppio. [3

[1. Scalig. VI.*Poeticor.* 4.*pag.* 810. [2. Sañaz. *l.* 1. *Epigr. de Pulitiano.* (3) Sciopp. in *Paradox. literar. Ep. ad Jul. Cæſ. Capac. pag.* 34.

X.

Illud etiam colophonem diſſertationi impoſitur^9^, non poſſum non, quin de Ludovico Cortoſio JCto Paduano memorem, eum decem condidiſſe Leges, quibus, ne mortem ſuam lugerent amici, cavit, inter quas duabus voluit, ut exornarent domum floribus & conchyliatis periſtromatis, uſque feretrum

ejus ſequerentur adoleſcentes & virgines cum viridibus ramis, non nænias aut leſſum, ſed ludrica cantantes, quod ipſum ex Philippo Camerario & Scardeone de JCtis Paduanis narrat nobiliſſimus Harsdorffe-rus: [1. Quô profanam de mortuorum reſurrectione & animæ immortalitate mentem ſatis teſtatus eſt, quam ab omnibus Chriſtianis procul eſſe jubeat Deus T.O.M. cui gratias agens debitas filum abrumpo.

(1. Harsdorff. *Part. II. Secretar. German. C.3. n. 49.*

F I N I S.

